



De la Colección de la Comp. de Jesús de Granada. R/10399

HIERONYMI  
OSORII LVSITANI,  
EPISCOPI ALGARBIEN-  
SIS, DE VERA SAPIENTIA,  
LIBRI QVINQVE.

AD

SANCTISSIMUM D. N.  
GREGORIVM XIII. PONTI-  
FICEM MAXIMUM.



Cum facultate Inquisitorum, &  
Ordinarij.

2

OLYSIPONE.

Excudebat Franciscus Correa.

1578.



**E**GO Frater Bartholomæus Ferreira, perlegi hos quinque libros de Sapientia, iussu amplissimi principis Henrici, sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis, supremi Inquisitoris: quos composuit Reuerendissimus Episcopus Hieronymus Osorius. Qui nõ ecclesiæ modo Siluensi cui præfectus est, sed vniuersæ reipublicæ Christianæ ornamento est: eamque sapientissimis, piissimis, & eloquentissimis scriptis illustrat. Demonstrat vero in his elucubrationibus, in quo verissima sapientia consistat. Non est autem alia grauior inter mortales disceptatio, & totus mundus in hac bilance constituitur. Tractata est enim hæc questio ab omnibus philosophis, & Augustinus citat Varronem qui assererat ducitas octuoginta octo Philosophorum de hac re opiniones fuisse. Est autem adeo pulchra sapientia veræ (quam hic noster auctor describit) cognitio, adeo in omnes vitæ partes præstans, adeo denique Christiano pioque homine digna, vt mirarer valde qui fieri posset, vt qui ab huiusmodi contemplatione atq; exercitatione alieni sunt, alicuius ingenii ac iudicii homines quicquam in vita habere iucundi vel grati possint, quod tanti talisque boni vel solari, vel leuare inopiam valeat: sine quo neque vitam ipsam, vitam appellandam putem. Multa ergo animi iucunditate legendi & inspiciendi sunt hi libri, & id eruditorum consensus, reor, iudicabit. Nihil enim nisi pium, nihil nisi salutare in eis inest, neque quidquam quod catholice Romanæ ecclesiæ, fideique sinceritati repugnet. Quare dignum opus esse existimo quod prælo mandetur. In cuius rei fidem in fronte libri scripsi, iuxta decimam regulam sacri concilii Tridentini. 15. Iunij, 1578.

F. Bartholomæus Ferreira.

Podense imprimir vista a informação, & hum dos nouamete impressos tora ne a esta Mesa com o original pera se ver se concorda antes de correrem. Este despacho se imprimirá no principio com a dita informaçam. Em Lixboa, xvij. de Junho.

Manoel Antunes Secretário do Conselho geral o fez.  
De M.D.Lxxviii. Manoel de Coadros. Paulo Afonso.

Dom Miguel de Castro. Antonio Tallez.

Contuli hos quinque libros impressos cum manu scriptis, & concordand in omnibus. Frater Bartholomæus Ferreira.

S. D. N. G R E G O R I O

XIII. P. M. H I E R O N Y -  
mus Osorius Episcopus Al-  
garbiensis.

S. P. D.



**V**M natura insitum in mentibus humanis sit, esse vim diuinam atq; sempiternam, qua omnia moueantur, & conseruentur: in ipsius diuinæ naturæ notitia comparanda, fuit olim à multis hominibus sine vlllo fructu omne studium vitæ consumptum. Atq; in principio in eum erroré inciderūt, vt soli, lunæ, & syderibus, nepe quib⁹ neq; pulchrius quidquã, neq; salutaris cogitare poterant, diuinitatē tribuerent. Deinde à cælo delapsi (neq; enim poterant animi vitiorū pondere, quod augebatur in dies, misere depressi, in cæli regione diu peregrinari) Deum in terrenis sordibus, in impuris voluptatibus, in mōstris horrificis inquirere, & inuestigare cæperunt: atque tandem impurissima religione constituta finem vltierius progrediendi sibi statuendum esse decreuerunt, quasi iam fuissent id, quod ardentissime concupierant, felicissime consecuti. Itaque vero Deo furenter & impie neglecto, tanta dementia vexati

sunt, vt etiam flagitijs, & horrificis monstris, & quadrupedum, & serpentium simulacris immolarent: & furias etiam, atq. adeo feritatis sempiternæ truculentiam honoribus diuinis afficerent. Similiter est de sapientiæ studio iudicandum. Omnes enim illius cupiditate tenetur, nec quidquam vel pulchrius, vel admirabilius esse iudicant rerum cognitione: pauci tamen in ea comparanda propter desidiam & imbecillitatem animi neruos intendunt. Qui tamen ingenio valent, & ad claritatem nominis aspirant, omnemque sibi ætatem in studio sapientiæ conterendam esse decernunt, sæpenumero fit, vt multo maiora signa temeritatis & amentia dent, quam illi qui studium sapientiæ prorsus abijciunt. Vt enim qui Dei numen præcellentissimum ignorabant, & Deum sibi in terris turbulentissimi erroris opinione fingeant, quo maiore cū superstitione dirissimis illis sacris astricti erant, eo grauius in se iram diuinam incendebant: ita qui sapientiæ student, quo maiore conatu ad eam enituntur, eo plerumque grauioribus amentia stimulis agitantur: eo quod se longissime à verissima sapientiæ ratione diuellunt. Si enim sapientia est summæ atque sempiternæ causæ cognitio, quam aliam causam possumus assignare rerum omnium, quam summum illū dominum qui omnia designauit, effecit, & constituit: per quæ

omnia

omnia conseruantur, & ad vltimum naturæ suæ finem referuntur? Consequens igitur est, vt qui in Deo defixam mentem non habet, sapientes esse non possint: imo quo maiorem operam in sapientiæ studio collocant, eo tetrioribus amentia tenebris obtruantur. Vt enim qui nocturna caligine iter magnum sulcipit, cum primum viam rectam deserit, quo magis accelerat, eo longius à loco, quem petit aberrat: ita qui sine diuina luce sapientiæ operam nauat, quo mentem in naturam acrius intenderit, & ingenium suum argutius in omnes partes versauerit, eo furentius in pestem ruet. Vera namque sapientia in vigenti & incæta fide qua Deū, quoad licet, mente complectimur, tota consistit. Ea nāq. nobis iustitiæ donum conciliat: ea mentem claritate diuini splendoris illustrat: ea postremo animos nostros summis atq. sempiternis bonis egregie locupletat. Si ergo verum inuenire volumus, statuendum nobis est, semper fore à lumine veritatis auersum, qui minimè sempiternam veritatē intuetur: . Sapientiæ fructum vehementer exquirimus, fructus illius est vita beata, qua soli frui poterunt animi, qui domino beatissimo coniuncti fœdere sempiterno sunt. Qui autē se ab hoc lumine bonorum omnium fonte remouerint, quo longius abscedent, eo grauioribus miserijs & ærumnis opprimuntur: & maioribus supplicijs æuo sem

¶ 3

piterno



piterno cruciabuntur. Vt igitur qui naturam sibi diuinam placare conabatur, dum falsos sibi Deos adiscabant, ipsum numen quod propitium habere cupiebant, foedissimis sacris irritabant: ita multi qui sapientiae cupiditate flagrant, dum sapientiam amplexari student, in pestiferos errores delabuntur. Sunt enim quidam, qui caeli spatia immensa metiri nituntur: cum seipsum penitus ignorent: sunt qui argutijs insolescant, cum literis & argutijs inanissimis sibi ipsi pestem machinentur: sunt qui sibi peracuti videntur, eo quod homines apertos & simplices callide circumueniant, & non vident se multo miserius illis ipsis fraudibus implicari. Denique ne plura conlecter, multis rationibus dum multi summam sibi sapientiae nomine placent, summa furoris & amentiae documenta constituunt. Illa namque summa dementia est, quae falso in sapientiae nomen arroganter inuadit. Praeterea nihil est rebus publicis calamitosius. Quid enim est ad euertendam rempub. efficacius instructa, & armata temeritatis audacia? Audacia porro summa falsum sapientiae nomen, si ut plerunque fit, popularis insania faulrix extiterit, necessario consequetur. Vnde concludi potest omnes fere rerum publicarum, quae opibus & imperio floruerunt, euersiones a falsa sapientiae opinione ortu habuisse. Si igitur in eucl-

lenda

lenda falsa multarum nationum religione cruce proposita a diuinis hominibus laboratum fuit, eque propemodum pugnandum censeo, ut falsa sapientia funditus euertatur, ut facilius verae claritas elucescat. Magnum quidem opus est, persuadere hominibus elatis, & confidentibus, & terrenis opibus nimium affixis, summum & altissimum sapientiae gradum in cruce Christi, & in humilitatis disciplina, quam Philosophi despiciunt esse constitutum. Sit, quantum velint homines, arduum atque difficile, quid tamen in eo efficere possim mihi certum est experiri: ita tamen, ut ingenio meo minime nitar, sed omnem spem in auctore sapientiae reponam. His igitur quinque libris statui omnem verissimae sapientiae rationem complecti, quos tibi dicare constitui: partim, ut non sine S. T. me contra improborum calumnias & conuicia praemunirem: partim, ut meam erga te obseruantiam & pietatem testimonio, si fieri posset, sempiterno declararem. Accedit quod vix quidquam mihi conuenientius occurrebat, quam libros de sapientia inscriptos pontifici sapientissimo consecrare. Quid enim tibi ad sapientiam summam deesse possit, non facile quisquam dixerit. Summum enim ingenium summis artibus excoluisti: longo rerum usu prudentiam insignem affectus fuisti: in omni genere virtutum quibus reip.

salus

salus, & salutaris moderatio continetur excellis: quanta solitudine Christi ecclesie prospicias apparet: quanto studio pacem & orium tuearis omnibus explore cognitum est. Quantam operam similiter in eo ponas, ut omnes & humanitate tua diligant, & seueritatem vereantur, nemo ignorat. Sed de laudibus tuis plura dicere temerarium fortasse multis videbitur, cum ex sint omnibus notae, & operibus clarissimis illustres. Tuam vero sanctitatem oro, & obsecro, ut hos nostros conatus boni consulat, studiaque nostra in sanctam ecclesiam benignitate sua singulari complectatur. Quod si fecerit, animum mihi certe dabit ad alia multa quae apud me compressa sunt, ad ecclesie usum & utilitatem in lucem proferenda. Felicissime valeat S. T. ad totius Christianae reip. salutem & incolumitatem.

(.?..)

# DE SAPIENTIA

## LIBER PRIMVS.



*VM* multis argumentis immortalitas animorum hominibus diuinae legis ignaris ostendi possit, haud scio, an sit aliquod firmitus, & vehementius, eo quod insita cupiditate sapientiae continetur. Cum enim ea sit rerum altissimarum, & diuinarum cognitio, is qui sapientiae cupiditate flagrat, indicat se ad diuinum statum aspirare: quod facere non posset, nisi caelitem agnitione teneretur. Animorum namque beatorum atque caelestium Pabulum sempiternum est Deum videre, illiusque speciem & pulchritudinem clara & illustri mentis acie contemplari: & ita quodammodo in naturam illius conuerti. Qui igitur sapientiae desiderio tenetur, se Dei similem fieri concupiscit: quod certe non appeteret, si id omnino fuisset humanae naturae denegatum. Id enim quaelibet res insito naturae sensu desiderat, ad quod nata & apta est, & cuius fructu naturae ipsius perfectio continetur. Quantum verò intelligendi desiderium natura nobis in seuerit, in pueris cernere licet, qui cum primum loqui incipiunt, multa quaerunt: multa curiosè & diligenter inuestigant: ita ut etiam quae in caelo fiunt, quae natura Solis atque Lunae sit, & quantum summi vertex montium à caelo distent, inquirant. Fabulis autem mirabiliter oblectantur, adeo ut earum dulcedine vehementer a lecti ciborum interdum memoriam deponant. Quo autem clari-

rior eorum indoles est, eo plura nosse desiderant: & acrius & attentius mentem in ea quæ narrantur intendunt. Non possunt illi quidem quid verum, quid falsum, quid coherens & verisimile, quid disiunctum & incredibile sit, ratione discernere. Quanta tamen multa cognoscendi cupiditate teneantur, curiositas inquirendi, & voluptas audiendi faciè declarat. Cum verò ætate progrediuntur, ubi veritas lateat, curiosius examinât: labi, decipi, errare turpissimum iudicant: neq; mediocrem voluptatem si valent ingenio ex artibus quibus ætas illa institui potest, accipiunt. Quod si libido, & ambitio, & auaritia, & reliquæ vitæ pestes tantas vires non habuissent, studium sapientiæ multo ardentius extitisset. Sed cum adolescentium animi his morbis agitati, in diuersas partes distrahuntur, nullum tantum malum est, quod non in eorum vitam incurrat. Nullum tamen grauius & pestilentius est ipsius mentis error, in quo inest malorum omnium seminarium. Ex eo namq; omnes calamitates, omnes rerum publicarum & priuatarum euerfiones, omnia bonorum omnium detrimenta nascuntur. In quo tamen errore qui sunt, sapientiæ studium vt existimant, non intermittunt. Sapientiæ namq; fructus est vita beata. Beata porro vita bonorum affluentia continetur. Bona autem sunt opes, honores, voluptates non futiles & inanes, sed stabiles atque sempiternæ. At qui se libidini constringendos dediderunt, dum diuitias immanes appetunt, dum vmbra falsæ gloriæ consecuntur, dum flagitiosas voluptates exquirunt, dum versute & callide in rebus inanissimis comparandis omne studium vitæ consumunt, se sapientiæ officio fungi putant: eo quod opinentur omnia illa valde

ad

ad bene, beateque viuendi rationem pertinere. Itaque dum calliditati sapientiæ nomen imponunt, nimiumq; malitiæ suæ confidunt, illisque bonis inhiât, quibus humana sitis expleri & satiarri non potest, sero intelligunt se sine vlllo fructu vitæ in beatitudinis studio contriuisse. Qui licet in summa inanitate versentur, nunquã sic sensibus orbati sunt, vt non eos interdum qui in aliã ingressi viam se sapientiæ dicauerunt, admirentur, & dignos honoribus amplissimis existimēt. Cur igitur tã multi reperiuntur, qui de sapientiæ disciplina detrahunt? Quia languore desidiaque fracti, & flagitiorum morbis oppressi, sapientiæ luce se frui posse desperant: & ideo quod assequi studio nequeunt, oratione vituperant. Non enim æquo animo ferre possunt, aliquem tantum vera dignitate præcellere, vt ipsi ad illum collati homines existimari minimè debeant. Quid enim est quo homines brutis animantibus antecellant, nisi mente, consilio, ratione? His autem rebus tantum sapientes insipientibus antecedunt, vt insipientes eorum comparatione brutorum animalium instar obtineant. Hoc igitur inuidia ferre non potest: & ideo quantum potest, in sapientiæ studium quod extinctum cupit, inuehitur. Ad hoc malum accessit sophistarum loquacitas, quæ cum se sapientiæ nomine in animos imperitorum insinuarere vellet, ostentatione quadam vanissima multis mortalibus illusit: occultasque libidines fronte & supercilio, quasi inducta veste contexit: quæ cum se tandem profudissent, euerfionem optimis artibus, & communibus rebus intulerunt: sapientiæque nomen odiosum & inuisum reddiderunt. Non enim cuiusuis est saltem in principio veram sapientiã à malitiosa

a 2

calli-

calliditate distinguere: euentu tamen quantum inter vtrāq; interfit intelligitur. Calliditas enim malitia & ostentatione subnixā emolumentū sui gratia turbas efficit: seditiones concitat: religionem violat: pudorem exterminat: castitatem oppugnat: mendacio gaudet: & est deniq; decoris, & honestatis, & tranquillitatis inimica. Contra vero sapientia pacem firmat: religionem tuetur: pudorem sancit: veritatē vnicē colit: est officii magistra, & omnia deniq; verissimæ virtutis ornamenta gremio suo complectitur. Quid igitur illa clarius, amplius, & magnificentius cogitari potest? Quid vtilius & salutaris? Quid pulchrius & amabilius? Ea namq; mentem quæ in homine principatum tenet, splendore diuini luminis illustrat: ea cupiditatem & libidinem coërcet: ea motus inanes comprimit: ea animis pacem conciliat: ea postremo humanas mentes cum diuina conglutinat. Quòd si beata vita honestatis tantum pulchritudine, & virtutis inuictæ præsidio continetur, sapientia est, quæ vitæ modum, quæ decoris elegantiam, quæ iustitiæ splendorem, quæ virtutis ornamenta præbet: quæ animi statum firmo atq; diuino præsidio cõfirmat. Si verò vt multi suspicati sunt, ad beatæ vitæ cumulum huius etiam vitæ commoda requiruntur, intelligendum est, eorum vtilitatem non esse in possessione, sed in vsu rectissimò constitutam. Multis enim species & pulchritudo exitio fuit: multi viribus ad suam & suorum perniciem abusi sunt: multi opibus freti patrias suas euerterunt: multi postremo claris artibus sunt in vniuersam remp. pestem nefarie machinati. Bonum verò non est appellandum, ex quo malum nascitur. Ea igitur quæ vel ad naturam, vel ad fortunam referuntur, quæ bo-

na

na cum vulgo nominantur, tum demum bona dici poterunt, cum ij qui ea possederint, illis rectè vsi fuerint. Forū autē rectus vsus sapientiæ moderatione continetur. Itaq; sapientia non est solum totius decoris & dignitatis efficiens, verum & felicitatis vniuersæ parens & altrix. Nec enim vbi sapientia dominatur, fortunæ temeritas locum habere potest. O diuinum sapientia lumen quis poterit laudes tuas enumerando percensere? Tu nanq; homines à libidine ad officium & continentiam traducis: tu artes salutaris quibus hominum vita cõtinetur, instituis: tu ordinem rerum publicarum collocas: tu reges hoc nomine dignos splendore diuinæ lucis illuminas: tu placidissimam animorum pacem cõstituis: tu dignitatem & impunitam libertatem elargiris: à te laudes omnes virtutis & sempiternæ dignitatis emanant: tu denique mortales immortalitatē donas, ipsique Deo amore sempiterno deuincis. Quæ igitur cæcitas eorum est, qui non vt te aliquādo perfruantur, ingentes labores excipiunt, & pro te etiā mori cupiunt? Immortalitas enim est amore sapientiæ mortem libenter oppetere. Sed quo maius, & amplius, & illustrius est sapientiæ nomen, latiusque patens vtilitas, eo difficilius esse videtur illius studium. Si enim sapientia est veritatis inuentio, veritas autē vt homines eruditissimi olim confirmabāt, in profundo demersa latet: dubium non est, quin sit ad sapientiam peruenire difficillimum. Non igitur immerito Pythagoræ modestia laudari solet, qui se non sapientē, sed philosophum appellari voluit. Philosophi enim nomen sapientiæ studiosum significat. Illius auctoritate factum est, vt sapientiæ nomine suppresso, Philosophiæ nomen in ore omnium versaretur: nemoq; deinceps, qui non stulte

etiam

a 3

arrogans

arrogans esset, inueniretur, qui nomen sapientis assumeret. Vt enim Socrates apud Platonē dicit, solus Deus est natura sapiēs. Humana autem sapientia vt ille dicebat, in animi moderatione perspicitur. Ille namq. inter homines sapientia præcellit, qui tenebras in quibus hominum vita versatur, nō ignorat: & se nihil sapere ingenue cōfiteatur. Quid igitur impulit homines excellēte ingenio præditos, vt in rem tam difficilem tātum operæ & studij cōferre uellent? An perinde atq. ij qui fama tātū eximie formæ cōmouentur, sic illi ad cupiditatē sapientie cuius expressam formā intueri non poterāt, exarserunt? Quod si adumbrata sapiētie species atq. nomen tantum apud eos valuit, vt præ illius studio omnes voluptates aspernarentur, & cōmoda vitæ contemnerent: quid tandem nobis faciendum est, qui possumus ex vera sapientia fructus maximos atq. sempiternos excipere? Ipse enim Socrates nobis certam & directam sapientie viam monstrat. Nam solum Deum dicit esse natura sapientem. Ergo qui seipso Deo in disciplinā tradiderit, disciplina sapiens esse poterit. Opus tamen nobis est ad Deum adeundum aliquo ductore, cuius opera facilius id quod volumus adipiscamur. Quem igitur potissimum deligemus? In tāta diuinorum hominū copia difficilis electio est. Attamen quod ad præsentem materiam attinet, in primis nobis noster Paulus occurrit. Is enim nō ab hominibus instructus, sed spiritu Christi eruditus, tantum in studio sapientie progressus est, vt mente etiā in cælum euectus ea diuine mentis arcana perspiceret, que hominibus explicari non possunt. Is tantum sapientia præstitit, vt orbem terrarum tenebris liberaret: & cunctis gentibus lumen clarissimum præferret, hominesq. amore, &

studio

studio glorie immortalis incenderet. In illius mente Christi spiritus insidebat, ita vt Paulus Christi ipsius sacrariū atq. dedicatum tēplum posset existimari. Quis nam igitur verius nobis sapiētie disciplinā tradiderit illo, in cuius mēte sapiētia sibi domicilium collocauit? Quæ nā est autē huius viri sanctissimi doctrina? Gorgias, Protagoras, Euenus, Hippas, Thrasymachus, & reliqui qui Socratis ætate sibi variā & multiplicē sapientiā arrogabant, nō eloquentie tantum disciplinā, sed virtutis atq. sapientie se facillimē tradituros asseriebant. Nihil esse dicebāt tā abstrusum atq. recōditum, quod non eruerent: nihil tātis obscuritatibus inuolutū, quod nō explicarent: nullā autē rem excipiebāt. Siue enim res quæ in quæstionē vocabatur, in nature puestigatione, siue in officiorū moderatione, siue in reip. administratione, siue in imperatoria disciplina, siue in quolibet alio artificio versaretur, de ea se ex tēpore disputaturos esse iactabant: ita vt nemo posset, vt dicebāt, in re vlla sapiētie rationē magis illustrē, & luculentius explicatā requirere. Hac tā insigni ostentatione & leuitate, & his tā magnificis promissis ad se iuuentutē sapiētie cupidā alliciebant. Quis enim nō valde cuperet omnium rerum cognitionem intra breue tēpus (hoc enim magistri pollebantur) non ita magna mercede cōplecti? At noster Paulus quid discendum proponit? Ad cuius artis disciplinam omnes mortales inuitat? Quid se scire profitetur? Nihil quidē prima specie clarū & amplitudinis ostētatione magnificum: id tamen in quo omnes opes verissime sapiētie cōsistunt. Quid igitur illud est? Ego inquit ad Corinthios scribēs, nō sum arbitratus me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christū, & hunc crucifixum. Quāto verborū

compendio sapiētiae verissimae summam complexus est? Pythagorici musices ignaros à schola repellabant: Platonici eos qui nō multam operam Arithmeticae, & Geometriae dederant, non admitterebant. At Paulus omnes & eruditos & imperitos admisit: & neminē qui discēdi studio ad illū accederet, exclusit. Qua disciplina mercede? Eorum ipsorum quos instituēdos susceperat salute, pro qua sanguinem profundere paratus erat. Sic autem factum est, ut cum illi qui sapientiam ostentabant, discipulos erroribus infinitis imbuerent: Paulus qui mirā humilitatis speciem praeferebat, auditores caelestis sapientiae disciplinis illustraret. Sed vim ipsius disciplinae videamus. Iudaei, inquit ille, signa petunt: Graeci sapientiam quaerunt: Nos autē praedicamus Christū, crucifixum: Iudaeis scandalum, Graecis stultitiā, vocatis autem Iudaeis atq. Graecis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Ex his Pauli verbis intelligi potest, eos qui sapientiae operā dabant, in duo genera distributos fuisse. Quidā enim fuere Iudaei, alteri autem Graeci. Graecis autem reliquae nationes annumerandae sunt, quae eadē via & ratione studia sapientiae colebāt. Iudaei signis, Graeci argumētis sapientiam sibi parare nitebātur. In quāto tamen errore utriq. versarentur explicādum nobis est. Atque primum de Iudaeis orationē habebimus: deinde ad Graecos veniemus. Iudaei ut Paulus inquit signa petunt, in quo nō ita vituperandi videntur. Intelligunt enim fortasse sapientiam non esse hominis inuētum, sed Dei munus atq. beneficium. Itaq. non humanis argutiis, sed diuinis testimoniis sibi nitendum existimāt. Nō enim pro vero habendum putāt, nisi quod diuinitus enunciatum fuerit. Ut autē aliquid à Deo enunciatum esse constaret, admiranda

randas signa requirebant. Quod ut facerēt confidentius sanctissimorum hominum sibi exempla proponebant. Abraham enim quāuis iam fuisset iustitiā consecutus, ut clarius tamen cerneret hereditatē sibi & posteritati suae promissam esse fœdere sempiterno cōfirmandā, sibi signum dari postulauit. Hoc enim significauit cum dixit. Vnde scire possum, quod possessurus sim eā? Moses similiter sibi signum praesentis numinis ostendi concupiuit, ut facilius populo fidem faceret. Quod autem ardenti fide petiit, feliciter impetrauit. Itaque signis auctoritatem suam cōstituit: signis rebelles & contumaces euertit: signis Israëlem in libertatem vindicauit: signis summum sacerdotium sanxit: signis leges, mores, & instituta conseruit: omni deniq. illius disciplina signis admirandis tradita, recepta, confirmata, & stabilita fuit. Similiter Iesus filius Num signis populum in sui admirationem cōuertit, innumērabiles hostes absumpsit: & clarissimas victorias consequutus est. Eadem ratione Gedeon signa non semel efflagitauit: signa manue Sansonis pater eodē studio requisit. Quid de Heliae signis admirandis edisseram? Quid de Helisei miraculis verba faciam? Quid illud maximè admirandum signum Ezechiae datum orationē commemorē? An parum liquet maximas olim sanctorum hominum admonitiones, sanctiones, actiones, signis constitutas fuisse? Non igitur immerito Iudaei videntur omnem veritatis explorandae rationem in signis collocatā habuisse, eorumque studium magis videtur esse ad religionem, quam ad fidei inconstantiam referendum. Attamen qui secum reputauerit, quam multa flagitia in hac Iudeorum petitione sint, ab ea tanquam ab infandi sceleris contagione refugiet.

Illi namque sanctissimi viri cum tempus signa postulabat, erāt enim res euenturæ signis adumbrandæ, & cum id Dei gloria flagitabat, erant enim mentes hominum in fide nutantium confirmandæ, signa non tam sibi quam aliis requirebant. At qui se illorum vestigiis ingredi simulabant, rebus iam multo clarius expressis, & firmissimè constitutis, cum signa petebant de fide diuina dubitabant. Sic faciebant illi qui dicebant, est ne in nobis dominus? an non? Item illi qui cum viderent aquas perēnes è siliice diuino beneficio prorupisse, de cibis quos intemperanter efflagitabant, an possent à Deo in vastissima illa solitudine donari, ambigebant. Itaq. dicebāt, nunquid Deus panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Illa autem dubitatione non mediocri in Deum scelus ediderunt. Aut enim illius fidem tantis beneficiis atque tam sæpe confirmatā in dubium reuocabant. aut illius infinitam potentiam angusti admodum finibus circumscribebant. Quale aut quantum signum requiris homo? Nū maius cæli totius conuersione? num illustrius solis splendore & claritate? num salutaris vniuersæ naturæ, ad humanæ vitæ præsidium consensione? At inquirunt, illa quotidie videmus, & idcirco minus admiranda ducimus. Quasi vero minus admirabile sit, quod est stabile, atque sempiternum, quam id quod momento temporis euanescit, aut clarius beneficium sit, quod est vni genti concessum, idque certo temporis spatio definitum, eo quod est, quotidie cunctis gentibus immensa Dei benignitate & magnificentia tributum. Præterea si te non mouent vlla signa, nisi quæ raro videntur, cur in singulis pene rebus signa requiris? Si enim signa quæ postulas peruulgari senseris, illa contemnes.

Nam

Nam si propter oculorum consuetudinem opera diuina quæ sunt nimis admiranda pro nihilo putas, certè maiore cum fastidio minora signa despicias. Quod igitur remedium Iudæus malis suis inueniet? Fidem habere recusat, nisi signum prius aspexerit. Ergo si multa signa non viderit, fidem paucis rebus adiunget: si signa multiplicata conspexerit ea consuetudine fidem signis omnibus abrogabit. An non hoc olim vitio miseri homines periculose laborabant? An non collata singulis diebus beneficia propter eorum frequentem vsum & consuetudinem fastidiosè respuebant? Cælesti Pabulo quod omnem suauitatem in se continebat, alebantur: è rupe quam Moses virga percusserat, aquæ dulcissimæ ingenti copia dimanabant: coturnices inuecta eorum ingluuiem satiabant: solis ardorem nubes ab eorum capitibus arcebat: noctis tenebras admirabilis splendor discutiebat: hostes præforoces in eorum conspectu exanimati concidebant: & tamen eo quod nullus fere dies intercederet, quo non Deus signo aliquo se illis præsentem adesse significaret, signa contempserunt: & tamen libertatis beneficium ingrati & impie despexerunt: & tamen Ægyptiorum allia & cæpas dapibus diuina benignitate concessis antetulerunt. Non igitur signorum frequentia Iudæorum salutem constituet: sed miseriam multis modis amplificabit. Quo enim signa frequentiora sunt, eo scelestius qui fidem violat, Dei maiestatem offendit. Quid igitur signa petunt, quæ si rara sunt, obliuione conteruntur: si peruulgata, & vsitata contemnuntur? Præterea dignum non est Dei maiestate frequentibus signis fidem suæ probitatis quasi ea parum comperta sit, facere

facere conari: & qui illa flagitant perfidia sua dedecus nomini illius inurunt. Contumeliam enim Deo inferunt, qui illi nisi signis quasi fidei parum explorata pignoribus credere nolunt. Præterea parum est amplitudini illius consentaneum corporeis signis frequenter ostensis diuinitatis fidē confirmare. Alia enim sunt signa multo clariora, magis illius numini cōgruentia, quæ valde frequentia sunt, ita tamen vt frequentia contemptationem non afferat: sed gloriā illius indies magis illustret, de quibus postea dicemus. Hæc vero quæ homines humi stratos si non in sceleribus nimis obstinati fuerint, ad credendum impellunt, cum primum lex diuina sancitur, aut aliquod noui operis exordiū nascitur, dari à Deo solent. Postquā vero lex & sanctio promulgata & moribus comprobata est, & opus aliquod diuinum ad salutē totius vniuersitatis absolutum, omittuntur. Aliter enim si frequentius darentur, & fidei splendor posset attenuari: & signi ipsius claritas vsu frequentiore contemni. Deinde periculum esset, ne homines signis assuefacti res signis adumbratas consecrari negligenter, & imaginis assimilatae pulchritudine cōtenti, pulcherrimam veritatis ipsius speciem intueri non appeterent. Postremo signi nomen, non veritatem, sed veritatis imaginem designat. Nec enim hominis simulacrū homo verus est: neq. species animantis in aquis pellucidis, aut in speculis exterfis animaduersa animans est: nec pictura aliquid solidum & expressum in oculis ponit. Sapientia vero non adumbrata veritatis similitudine, sed veritatis ipsius cognitione continetur. Tantum vero abest, vt in signis collocanda sapientia sit, vt is magnos in illa progressus habere putetur, qui quantum potest animum à signis abducit,

vt

vt ipsam per se veritatem contueri possit. Si igitur signorum petitiō est plerumq. perfidia signum, temeritatis argumentum, fidei grauius violanda periculum, instituti sceleris amplificatio, sapientiæ ipsius, cuius gratia signa petuntur, impedimentū, nullo certè pacto Iudæi quandiu signa postulauerint, sapientiæ composesse poterunt. Verum Paulus illis egregiè satisfacit. Vnū enim signum illis conspiciendum proponit, quo nullum clarius & mirabilius, neque quod magis numinis diuini virtutem & potentiam confirmet, excogitari potest. Quod inquit signum narras? Iesum inquit, & hunc crucifixū. Quid est hoc? inquit. nos signum virtutis diuinæ flagitamus: vos autem nobis extrema cuiusdam imbecillitatis exemplum proponitis. Hoc est igitur nobis aperiendum, id quod Iudæi infirmitatis & imbecillitatis argumentum opinantur, continere vim numinis admirandam, & rebur virtutis inuictum, claritatem victoriæ sempiternā. Sed prius recessse est, vt quid sit scandalum crucis explicemus. Scandali nomen est Græcis atq. Latinis, qui sacras literas minime norunt, ignotum: nostris tamen valde frequenter vsitatum. Significat autem offensionem. Offensio autem de Christo sumpta, quæ Iudæis ruinæ causam attulit, hæc fuit. Erant Iudæi ab incunabulis in spe summæ cuiusdam felicitatis enutriti: quæ felicitas erat vt prophætæ prædixerant, per Christum afferenda. Itaq. fore sperabant, vt Rex potentissimus ex stirpe Davidis oriretur, qui res Iudæorum afflictas in pristinum splendore multis opibus amplificatum restitueret: tyrannidem hostium deleteret: orbemq. terrarum sub imperium ditionemq. subiungeret: & suos bonorum omnium affluentia cumularet. Quo magis au-

tem



tem eos Romanorum dominatus opprimebat, eo magis illā libertatem & diuitiarum affluentiam, quam animis finxerant, spernissimā deuorabant. Legerāt, & audierant, quantas victorias Dauid adeptus fuisset: quantas opes Solomō illius filius habuisset. Eas tām insignes victorias, ingētesque diuitias iam pro nihilo putabant. Nec enim dubitabant, quin Christus esset rebus etiā ab Alexandro Magno gestis, victoriarū multitudine obscuritatē allaturus. Iā intra se Romanis atrociter minabātur. Fore enim confidebant, vt Christus Romanorum imperium excinderet: & Romanos Imperatores cōfestim de amplissimo dignitatis gradu precipites exturbaret: eorumq. opes vniuersas Ierosolymā trāfferret. Ad hanc autem spem confirmandā diuinorum hominum testimonia qui de summo Christi imperio, de victoriis atq. triūphis illius praeclara cecinerant, in ore semper habebant. Accedebat, quod prophetarum praedictiones cum illius memoriae signis conferentes, opinabātur breui tempus illud affuturum, quo tātis opibus potirentur. His cogitationibus inflati, iā ferocius & insolentius incedere meditabātur, cum subito praeter omnium opinionem ipsum Christum longe diuersi ratione ab ea quam finxerant exortum aspiciunt. Hominem enim cernunt ignotum, in vrbe ignobili, sub parentibus vt hominum opinio ferebat, obscuris educatum, nullis opibus instructum, nullis disciplinis eruditū, nulla specie popularis famae gloriosum, egentem praeterea, & incommodis multis exercitum, qui tamen se diceret illum Regē esse, quē exspectabāt. Videbāt in illo pro amplitudine maiestatis, humilitatem, pro summis opibus egestatem, pro bellicarum rerum studio mansuetudinem, pro imperio amplissimo voluntariae ser-

uitutis

uitutis speciem. Pedibus iter faciebat: principum familiaritatē non appetebat: ad multitudinis facem se libentius aggregabat. Concitabat praeterea grauissimam cunctis impuris hominibus offensionem illa oratio qua se Dei filium appellabat. Nā indignissimē patiebantur, illum quem infra quosuis homines esse ducebant, tantum efferri, vt sibi ipsi diuinitatem tribueret. Adde nunc vitae dissimilitudinem, quae animos abalienare solet: adde in scelere coercendo libertatem & acrimoniam, quae odium acerbum saepe cocitat: adde mirabilem vitae sanctimoniam, quae inuidiae faeces inflamat. Cum igitur a spe decidissent, neque Christi species & habitus eorum optatis respondisset, & simul humilitatis indignitas, seueritatis odiū, virtutis inuidia, eorū animos exagitasset, admodū grauer offensi sunt. Fuit igitur Christus vt Isaias futurū praedixerat, lapis offensionis in quē homines caecis tenebris, & horreda caligine demersi ruentis cociderunt: fractiq. & vehemēter allisi in hostium manus puenerūt: vt tāti sceleris penas sempiternas exoluerēt. Nulla tamē offensa grauior extitit ea quā ignominia crucis excitauit. Habet enim hoc hominū furētium caecitas execranda, vt ex humanis casibus locum quē apud Deum quisq. teneat, iudiciū faciendum existimet. Cū enim huius vitae comodis nimis adhaesi sint, & de futura vita parū cogitēt, quē opibus atq. deliciis circumfluentē animaduertunt, beatū indicāt: quē vero multis incommodis afflicti cōspiciūt, erūnosum, & miserum, & Deo nimis inuisum arbitrantur. Idcirco factū est, vt cum Christum in crucē sublatum aspicerent, quasi tunc illum impietatis conuicissent, in supplicio illius insultarent. Cum enim vulnera à fronte & à tergo, capiti, manibus, atq. pedibus, & aliis

corporis

corporis sanctissimi partibus inflicta conspiceret, cum illi sum-  
 mis doloribus excruciatum animaduverterent, non solum oculos  
 eo spectaculo satiarunt, & animos crudelitate furentes expleue-  
 runt: verum etiam, eo quod litem se obtinuisse crederent, ingen-  
 ti gaudio cumulati sunt. Nec enim credibile suspicabantur, si  
 Christus non fuisset maximorum criminum reus, ut à Deo (ut  
 opinabantur) destitutus tam acerbo supplicio maceretur. Sic au-  
 tem dicebant. Tu ne ille es qui tantum tibi assumpsisti, ut dice-  
 res te Dei templum eversurum, & tribus diebus illud instaura-  
 turum? Age nunc euertere templum: illudq; rursus instaura. Si  
 filius Dei es, descende nunc de cruce. Tum illud etiã adiungebãt.  
 Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Rex ille  
 est qui erat salutem Israëli daturus, suam ipsius salutem prius  
 constituat: clauos euellat: vulnera sanet: è cruce defiliat, ut tum  
 demum credamus, illum esse diuina virtute, ut preserebat sta-  
 bilitum. Atqui dicebat, se omne vitæ præsidium habere in Deo  
 constitutum. Liberet eum nunc Deus si vult. Nec enim solum  
 se Dei amicum, verum & Dei filium sane fidenter assererat. Si  
 amicus est, Deus amici res haud quaquam negliget: si filius est,  
 illi patria charitate prospiciet. Si Deus igitur illi nec ut amico  
 presens adest, nec ut filio consulit, non ne liquido constat oratio-  
 nem illius fuisse vanissimam? Illud etiam cum motu capitis &  
 irrisione petulantissima & multis cachinnis addebãt. En Chri-  
 stus ille cuius expectatione Iudeorum genus erectum volitabat:  
 en princeps beneficis & salutaris qui suis firmam spem salutis  
 ostendebat. Quorsum tandem magnifica illius promissa reci-  
 derunt? Male certè reliquos florentes & beatos efficiet, qui sibi

in tantis miseriis constituto opitulari non potest. Nunc igi-  
 tur luat temeritatem, vanitatis pœnas det: & sic demum fiet,  
 ut nemo tam audax & impius sit, ut auctoritatem diuini no-  
 minis atque virtutis vsurpet. His multa similia viri perdi-  
 tissimi dicebant, ex quibus intelligi potest, quanta eorum of-  
 fensio fuisset. Hoc est autem scandalum illud, ex crucis spe-  
 cie & Christi supplicio sumptum, quod perditis hominibus  
 euerfionem intulit. Christum enim imperatoria virtute cla-  
 rissimum expectabant: at illi contra opinionem Christum pla-  
 gis contusum & vulneribus deformatum aspiciebant. Qua-  
 re minimè consentaneum illis videbatur, ut aliquis ab eo sa-  
 lutem expectaret, quem esse summa miseria perditum sta-  
 tuebant. Hoc autem Iudeos impia fraude obligauit, & ita  
 miserabiliter impediuit, ut cæci furore in tenebras sempiter-  
 nas inciderent. Explicato crucis scandalo par est, ut quanta  
 vis atque potètia numinis diuini in hoc Christi supplicio quo  
 perdit homines illum abiectum putant, eluxerit, illis aperia-  
 mus. Prius tamen quam id faciamus, ab illis libenter audie-  
 rim, quid opinentur de Christi regno à Deo promisso. Fore-  
 ne putant, ut quidquam cogitari possit in terris præstantius  
 atque magnificentius, omnibusque verissimis bonis affluen-  
 tius? negabunt. Quæram deinde, sit ne præstantius id quod  
 animi statum constituit, ornamentisque diuinis afficit: an  
 id potius quod ad corporis emolumentum & elegantiam vitæ  
 confertur? Fatebuntur certè verbo saltem, licet inuiti, non es-  
 se bona corporis cum bonis animi conferenda. Rursus quæra-  
 sit ne amplius & utilius id quod angusto admodum telluris

*Spatio definitur : an quod ad vniuersitatem generis huma-  
 ni conseruandam, & ornandam dirigitur? Id etiam valde  
 perspicuum est, bonum quo latius patet, eo præstabilius esse.  
 Postremo interrogabo, sit ne melius & optabilius id quod  
 vitæ breuis curriculo circumscribitur : an quod nullo tem-  
 poris spatio terminatur? Et hoc etiam nemo dubitat haud ef-  
 se res fluxas & interituras cum sempiternis aliqua ex parte  
 comparandas. Ergo si nihil potest cogitari regno Christi præ-  
 stantius, & opes immortales animi, vniuersitati generis hu-  
 mani tributa, multis partibus corporis emolumentis vni tan-  
 tum genti concessis, & interituris antecellunt, non ne constat  
 regnum Christi opibus animi cunctis gentibus afferendis atq.  
 sempiternis contineri debuisse? Quæ conueniebat igitur pro di-  
 uitijs animi emolumenta corporis intueri, beneficentiæq. di-  
 uinæ magnitudinem in angustum contrahere, & pro bonis  
 sempiternis fluxas & interituras opes sitienter appetere? At  
 id neq. erat Dei magnificentiae decorum: neque salutis nostræ  
 consentaneum. Magnificentiae namq. diuinæ cum magna bo-  
 na promittit, congruens est, vt sempiterna munera & dona  
 largiatur: & salus hominum quæ morte extinguenda atque  
 delenda est, salus appellari non potest. Hæc autem peruersa  
 Iudeorum opinio, quæ promissiones diuinas ad corporis emo-  
 lumenta referebat, illis totius calamitatis caussa fuit. Cum  
 enim animaduertent à Christo opes contemni, quarum illi  
 cupiditate flagrauerant: exteris gentibus spem salutis osten-  
 di, in quas ipsi odium infinitum conceperant, se deludi puta-  
 uerunt: & tam immani odio exarserunt, vt ipsi sempiternam  
 salutis*

*salutis auctori perniciem molirentur. Vt autem clarius cerni  
 possit quanta Iudeos amentia vexarit, commodum arbitror  
 scripturæ sanctæ testimoniis ostendere, primum quidem opes  
 à Deo promissas, quas Christus erat terris allaturus, non  
 ad corporis victum & luxum, sed ad animi statum & orna-  
 mentum pertinere: deinde eas non Iudæis tantum, sed omni-  
 bus gentibus pro ratione fidei atque pietatis conferendas fuisse.  
 Postremo eas nullis seculis interituras esse. Primum  
 igitur à Iudæis qui regnum Christi in huius vitæ splendore  
 & magnificentia collocant, interrogemus, an existiment;  
 ipsum Christum tantæ felicitatis Architectum, ipsius felici-  
 tatis expertem fore? Negabunt. Et iure negabunt. Non  
 enim fieri potest, vt qui miser est, alios beatos efficiat. Ergo  
 necesse erit illis eum Christum fingere, quem nec inopia vlla  
 sollicitet, neque maledictum vexet vllum, neq. dolor vllus at-  
 tingat. Consequens enim est, vt is qui reliquis omnibus qui  
 illum sectati fuerint, est caussam felicitatis allaturus, tanto  
 felicior omnibus sit, quanto gradus illius dignitatis est futu-  
 rus altior & illustrior. Itaque opus est, vt equorum multi-  
 tudine, auri & argenti copia, vestium nitore, gemmarum ful-  
 gore, seruorum numero, ministrorum sedulitate, exercitus in-  
 gentis robore, mulierum specie & pulchritudine, totiusq. vi-  
 tæ iucunditate, omnes Persarum Reges, & Romanos Impe-  
 ratores vincat & superet. Si ita est, vnde illa tanta equorum  
 penuria, vt eum cogeret die celeberrima, qua erat Rex ab om-  
 nibus maxima voce salutandus, a sino in urbem vehi? Sic enim  
 inquit Zacharias. Exulta satis filia Sion: iubila filia Ierusalæ.*

Filiam sion aut filiam Ierusalem Hebraeorum more Ierosolymitanam remp. aut vt rectius dicā, fidelium hominum cœtum appellat, quem ad letitiam & voluptatem inuitat: & continuo caussam tantæ voluptatis exponit. Sequitur enim. Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & saluator. Rex inquit nō tyrannus: tuus, non alienus: veniet tibi, non enim commodum suum quæret, sed salutem tuam constituet. Iustitiæ enim ornamentis exultus incedet, & salutem tibi sempiternam dabit. Hoc in loco ciuitas ipsa dicere potuisset. Summam mihi voluptatem nuntias. Illum enim exspecto: desiderio illius incendor: moram diutius ferre non possum. Sed narra quæso, quanto exercitu stipatus, quali principum comitatu circumseptus, quibus curribus & quam eleganter instratis inuehatur. Si Regiæ inquit maiestatis ornamenta requiris, ea iam exposui. Illum namque iustitiæ principem, & salutis auctorem fore dixi. His ornamentis ampliora & illustriora cogitari non possunt. Non id quæro inquit Iudæus, sed quæ futura sit pompa triumphi, quæ militum copia, quæ maiestas imperii. Falleris inquit vir diuinus, si alia in Rege summo maiestatis insignia requiris, præter ea quæ iustitiæ splendor & benignitatis amplitudine continentur. Reliqua omnia quæ sunt mortalia, fluxa & fragilia, Rex hic noster pro nihilo putabit, suosque ad eorum contemtionem acriter incitabit. Quod vt commodius fiat, in die triūphi, non currus, non equites, non instrumenta bellica comparabit. Imo paupertatis & humilitatis insignia documenta statuet. Asino enim vehetur. Asino inquit, asinæ pullo infidēs vrbe inibit. Quid ais Iudæe?

Opes

Opes expectas? iustitiæ tibi atque salutis opes exponimus. Si opes humanas in Regis huius maiestate desideras, Zacharias vir diuinus te isto errore liberat. Nam in Rege nostro tibi pro diuitiis inopiam, pro studio celebritatis humilitatem, pro curribus ostro, & auro fulgentibus asinæ pullum in oculis & aspectu proponit. Non igitur opibus oculum adijcias, quas à Rege summo contemni perspicis: sed eas tibi propone, quibus ille merito gloriatur, nempe quæ sint diuinæ atque sempiternæ. Ille namque cum cernebat superbia & auaritia fieri, vt homines à cæli conspectu deiecti terram intuerentur, exemplo humilitatis & paupertatis, superbiæ & auaritiæ securim influxit, vt hominum rursus oculos ad cæli conspectum excitaret. Zachariæ testimonio iam satis constat Christi regnum, non opibus fluxis, sed immortalibus atque sempiternis contineri. At forsitan ita inopiam inquiet aliquis tolerabit, vt nulla vnquam contumelia violetur. Imo ijs probris erat afficiendus, quibus nemo post homines natos affectus vnquam fuit. Sic enim Isaias Deum de Christo loquentem inducit. Ecce seruus meus sapienter se geret, efferetur, & extolletur, & in summo dignitatis gradu locabitur. Deinde ad Christum conuersus ait. Sicut te intuentes obstupescerunt multi, ita deinde supra cunctos homines contumeliis & ignominia deformaberis: & omnium mortalium despiciatissimus eris. Quem tamen fructum Christus erat, ex ea breui temporis ignominia percepturus, continuo demonstrat in eo loco propheta. Futurum namq. prædicit, vt humanas mentes expiet, vt multos.

mortales ad suum nomen specie mirabili virtutis & probitatis alliciat: vt Reges & principes illum religione summa venerentur: vt qui nunquam de eo quidquam audierant, luce illius clarissima perfruantur. Sed inquit Iudæi, vt inopiam aliquando perferat, & ignominiam toleret, quæ sunt magis in opinione, quam in sensu posita, non enim acrem morsum doloris efficiunt, credibile tamen nõ est, vt is dolores acerbos aliquando sustineat. Hoc eorum commetum refellit Isaias. Sic enim paullo inferius ait. Contemptus, & infra cunctos mortales abiectus est, doloribusq. summis afflictus, inualetudine vehementer oppressus, & impeditus, adeo vt oculos ab illo tanquam ab horrendo spectaculo auerteremus. Sic autem despectus erat, vt ne hominem quidem duceremus. Verum morbos nostros ipse pertulit: & dolores nostros ipse sustinuit. At nos opinabamur illum à Deo propter maleficia percussum & abiectum fuisse. Ipse vero vulneribus suis rebellionis nostræ penam subiit: & ppter iniquitates nostras afflictus est. Hoc enim suscepit, vt pacis nostræ disciplinam, qua nos erat in gratia cum Deo positurus, penis suis sanciret: & plagis suis vulnera nostra sanaret. Omnes nos quasi oves errauimus, quilibet in viam suam deflexit, at dominus supplicia iniquitatibus nostris debita illi constituit. Hæc & alia multa persequitur Isaias, quibus Christi dolores intolerandos & acerbissimos cruciatus exponit. Hoc in loco misere torquentur Iudæi: in eoque frustra contendunt, vt Isaiæ testimonium à vero sensu detorqueant. Sed quo magis in eo laberant, vt lucem meridiana tenebris suis obscurent, eo magis eorum detestanda

testanda cecitas apparet. Quidam enim hæc ad vniuersum Iudæorum genus referenda censent, quod dicunt diuturno exilio gentium penas luere, & Isaiam sub gentium persona multitudinis Iudæicæ sanctitatem admirari, nempe quæ pro aliorum peccatis incommoda tam multa atque tam diu perferat. Hæc portenta qui dicunt, videant, quomodo sibi possint accommodare illud, quod hoc in loco continetur, nempe peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Gens impia & scelerata, ex fraude & mendacio composita, sanctitatem & fidem sibi tam insolenter arrogabit, vt dicat se nullum unquam in vita flagitium, aut fraudem suscepisse? Aut tantum meriti pondus in laboribus quos merito sustinet, inesse constituet, vt non solum ipsa pietatis insigne decus se tenere dicat, verum & gentium omnium scelus expiare? Deinde quomodo in eos quadrat illud, quod hoc in loco dicit Isaias, nempe & pro transgressoribus orauit, cum constet ab illis esse solemni ritu diras execrationes institutas, quibus omnia mala perpetuo capitibus nostris in conuentibus suis imprecantur? Alii rursus cum cernerent quam male cum aliqua saltem specie verisimili genus orationis ineptissimum & fallacissimum cohereret, aliam eludendi rationem excogitarunt. Messiam enim alium venisse finxerunt, quem nescio vbi latere multis ab hinc seculis voluerunt, de quo Isaiam hoc in loco sermonem habere fatentur. Verum quidem illi loquuntur inuiti, sed veritatem rursus mendaciis ineptissime confictis obscurare nituntur. Vt tamen ineptias omittamus, Isaiæ certè testimonio confirmatur, quot erant ipsi Christo subeunda

supplicia, cum terras inuiferet. At Dauid præter dolores & gemitus, neq. fel & acetum, neque contumelias & maledicta silet: & illam eandem Christi querimoniam, qua se in cruce à Deo desertum esse conquestus est, totidem verbis exponit. Hinc Iudæi sibi aliquam auram afflari posse confidunt. Si à Deo inquirunt desertus fuit, iustus minimè fuit. Deus enim iustos nunquã deseruit. Ignorant homines amentissimi esse quasdam iustorum hominum tanquam amantium querelas, quæ non diffidentie significationem dāt, sed dolorem in quo sunt propter dilatam sp̄i suæ fructum gemitibus crebris aperiuunt. Præterea in sanctis literis non solum sanctorum hominum fides, verum & cogitationes quæ fidem oppugnant, sæpe numero describuntur. Sic Abrahamā, sic Moses, sic Iesus filius Num, sic Dauid, sic Helias, Isaias, Ieremias & reliqui sancti viri cum Deo interdum expostulāt: & de statu suo illius ope & solatio destituto lugubri admodū oratione conqueruntur. Qua tamen oratione non diffidentiam, sed doloris vehementiam in qua versantur explanant: seq. diutius mala quibus opprimuntur pati non posse, nisi mature subuentum fuerit, nimis dolenter edisserunt. Ad hunc autem modum Christus, vt humanæ naturæ statum, & conditionē exprimeret, & in omnibus rebus se fratrum suorum, sic enim iustos appellat, similē esse ostēderet cum se desertum cōmemorat, non res suas à Deo negligi, sed se in acerbissimo cruciatu versari, auxiliumq. differri significat. An vero desertus fuerit, Iudæus animaduertat. Nā in eodem ipso carmine in quo Dauid Christum lamentantē inducit, de auxilio quo fuit ipse Christus pa-

tris

tris beneficio liberatus, de gloria qua fuit egregie cumulatus, de imperii illius amplitudine multa atq. præclara dicit. Ergo si fieri nequit, vt in Christi regno quisquã ipso florētior, omnibusq. bonis affluentior atq. beator sit, & testimonio diuinorum hominum quod Iudæi negare nō possunt, apertissimè constat, ita futurum fuisse, vt Christus extremā inopiã perferret, ludibria, maledicta, conuitia sustineret, cruciatus intolerādos pateretur, restat, vt opes regni quas sanctissimiviri tãto ante prædixerāt, ad animi cultum, & diuinæ formæ similitudinem conferendæ sint. Vt autē id clarius animaduerti possit, non erit alienum quas opes huius florentissimi regni viri diuini fore prædixerant, explicare. Isaias cum ruinā qua Ierosolymitani ciues erant opprimendi, & hominum stragē exposuisset, Christi decus & imperium cōtinuò oratione persequitur. Ait enim, In die illa erit germen domini in magnificentiã, & gloriã, & fructus terræ sublimis ijs, qui saluati fuerint de Israel. Quē germen domini vocauerat, rursus fructum terræ nominauit, vt intelligi posset, eū & Deū & hominē esse, qui Iudæorum reliquis salutē erat allaturus. Quāuis enim numerus filiorū Israel esset cum arenæ multitudinē cōferēdus, reliquæ tātum erāt cōseruandæ per fidē. Ait deinde. Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur, qui scriptus est in vita in Ierusalem. Nomen relictī, & nomen residui, eadem & stragem exaggerat: è qua pauci tantum erant, fidei beneficio cōseruandi, & ciuibus cælestis Ierosolymæ qui soli verissima vita fruuntur, adscribendi. Id autem fieri non poterat, nisi vitæ puritate &

b 5

sancti-

sanctimonia. Sed quæro, quæ ratio sanctitatis illa fuerit. Nūc ea quam legis antiquæ ritus & sacerdotium continebat? Minimè gentium: sed quam diuinus spiritus instituit. Sequitur enim, Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinè Ierusalem lauerit de medio eius, in spiritu iudicii, & in spiritu ardoris. Cernis quæ sint opes regni? Non aurum, non argentum nominat: non corporis voluptates, non magnificentiâ buius vitæ recenset: sed spiritus sancti munus atq; beneficium, quod continet in communi strage salutem: in internectione securitatem: in scelerum colluione sanctitatem non in lustralibus aquis, aut vitulæ rubræ cineribus, sed in spiritus diuini gratia constitutam. Spiritus enim iudicii innocentiam & puritatem, spiritus autem ardoris animum cupiditate diuinitatis inflammatum significat: vtrumque autem spiritus sancti munere continetur. Alibi vero inquit, Existet surculus è stirpe Iesse, & virga de radice illius pullulabit. Hoc in loco non est Iudeus, qui dubitare possit, quin oratio de Christo habeatur. Sed opes Regis huius aspiciamus. Num auri & argenti aut gemmarum mentio fit? Non profecto. Sed aliarum diuitiarum, quæ multum omnibus humanis opibus antecellunt. Sequitur enim, Et requiescet super eum spiritus Domini. Non dicit afflabit eum, aut impellet eum spiritus Domini: sed Requiescet super eum, vt demonstrat spiritum sanctum sibi in illo sedem stabilem atque sempiternam constituisse. Opes autem ipsius diuini spiritus laculenter explicat. Spiritus inquit sapientiæ atque intelligentiæ, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus prudentiæ & religionis.

religionis, spiritus qui religionis odorem longe lateque diffundet. Paulo autè inferius fore dicit, vt Christus iustitia atq; iudicio quasi baltheo præcingatur. Hæ sunt, hæ sunt Regis nostri diuitiæ, hæ sunt opes, hæc instrumenta bellica, quibus feritatem expulit: immanitatem profligauit: mores effertos extinxit, atque perfecit, vt vituli cum leonibus simul habitarent, idest ne crudeles homines ijs qui minimum poterant perniciem vt antea faciebant, inferrent. Alio rursus in loco, Aperientur inquit oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet vt ceruus claudus: & soluta erit lingua mutorum. Quia prorumpent aquæ in terra deserta: & in aridum solum torrentes emanabunt. Quæ nam est hæc rerum connexio? Num ob eam causam quod in locis desertis aquæ sunt eliciendæ, verum est, vt cæci videant, surdi audiant, claudi saliant, muti Dei laudes enuncient? Si Iudeos sequutus fueris, exitum nullum reperies: si vero Prophetæ sententiam, nihil congruentius fieri aut dici posse iudicabis. Per aquas enim munera sancti spiritus intelligit: quæ perficiunt, vt qui antea res cælestes intueri non poterant, eas clarè cernant: qui legem diuinam minimè ad aures admittebant, eam cum iucunditate summa percipiant: qui propter animi imbecillitatem nullum opus iustitiæ & humanitatis edebant, opera sancta alacriter exequantur, qui linguam impeditam gerebant, ne Deo gratiarum vota persoluerent, vitam in diuina benignitate celebranda consumant. Quam sepe autem. Isaias per aquas dulces atque perennes



dona sancti spiritus intelligat, videre possunt, qui mediocre studium in illum contulere. Veluti cum dicit torrentes in vastitate prorupisse, Deumque in horrida solitudine arbores perpetuo virentes manu sua conseruisse: sempiternumque hortum & viri larum instituisse: aut cum ostendit, quomodo loci irrigui & ameni erant aestu, & siccitate vastandi: & rursus inculti propter aquarum affluentiam in amenitatem conuertendi. Quibus in locis docet aquas quæ hanc viriditatem & amenitatem efficiunt, à Iudæis neglectas ad alienas gentes deriuandas fuisse. Alibi vero inquit, Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum prope-  
rate, emite & comedite. Emite absque argento & absque vlla commutatione vinum & lac. Per aquas spiritus sancti largitatem & beneficentiam intelligit, quæ sitim explet: quæ fecunditatem inducit: quæ virtutum omnium plantis incrementum in dies affert. Idem per lactis dulcedinem quæ infantes nutrit, & per acriorem vini vim quæ robustiores incendit, atque iucunditate mira letificat, aperte significatur. Spiritus enim diuinus discipline mitioris suavitate rudes instituit: deinde instinctus vehementioris impetu, eos qui sunt magis etate prouecti corroborat. Aquas autem vinum, & lac, & cibos præterea venales esse dicit, ad ea tamen coëmenda argento & auro opus non esse, quia non meritis antegressis, nec enim merita spiritus sancti gratiam antegredi possunt, ex illa namque omnia merita nascuntur, sed fidei non languida, sed incensa & incitata tribuuntur.

Quod

Quod autem hæc sit Isaie sententia, ea quæ sequuntur ostendunt. De fide namque, de iustitia & æquitate, de pietate luculenter edisserit. Multa sunt apud hunc diuinum virum, & apud alios Prophetas testimonia, ex quibus colligitur huius nostri Regis opes in vitæ puritate & integritate, in rerum humanarum despicientia, in iustitiæ studio, in virtutis magnificentia, in caritatis ardore, in diuinarum rerum assidua commentatione, & in opulentia denique cælesti atque diuina consistere. Quæ malum igitur illa Iudæorum cæcitas fuit, quæ illos à studio diuinæ virtutis abstraxit, ut sibi opes instabiles & interituras in hac vita exigua pollicerentur, & nihil aut parum admodum de sempiternis cogitarent? Quomodo autem gentes vniuersæ erant in societatem tanti muneris euocandæ, quod Iudæi ferre non poterant, infinitis etiã propemodum testimoniis demonstrari solet, è quibus pauca colligam. Primum quidem Deus ad Abraham dicit omnes gentes per illius semen id est per Christum exsecratione liberandas esse. Idem Isaac illius filio, idem etiam Iacob illius nepoti totidem verbis pollicetur. Iacob vero moriens cum sub Iudæ nomine à quo Christus erat oriundus multa de Christo prædiceret, in illo spem gentium reponendam esse prænu-  
ciauit. David autem ita Deum cum Christo loquentem inducit. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam fines vniuersæ terræ. Alibi vero idem David ait, Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Tum illud, Omnes gentes plaudite manibus. Et letentur & exultent gætes, & apud eundem vatem Christus ipse.

Populus



Populus inquit quem non cognoui, seruiuit mihi. Infinitum esset, si velle reliqua omnia huius diuini viri testimonia persequi, quæ hanc eandem sententiã confirmant. Isaias vero quã sæpe de hac gentium conuersione cõmemorat? Fluent inquit ad eum omnes gentes: & ipsum gētes deprecabuntur: & dedi te inquit apud illum Deus, in lucem gentium: & domus mea domus orationis vocabitur cūctis gētibus: & mittā ex eis qui euaserint in Ciliciam, in Lydiam, in gentes iaculandi peritissimas, in Hesperiam, in Græciam, in extremas insulas, quæ nominis mei famam minimè perceperant: & prædicabunt nomen meum inter gentes: Et offerent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus in sacrificiũ domino. Hoc in loco duo consideranda sunt. Primum quod gentes ad Iudæorum cœtum aggregandas Iudæorum fratres appellat. Hæc enim diuina cognatio non sanguinis communionem, sed fidei consensione cõtinetur. Alterum est, quod sacrificandi ratio erat prorsus immutanda. Non enim dicit, quadrupedes adducēt ad victimã, sed fratres vestros ex gentibus electos offerent, vt sint sacrificium Deo gratissimum. Non enim sanguinem pecudum, sed interitum nequitie requirit: neque carniū nidore, sed inflāmatæ fidei magnitudine delectatur. Et quẽadmodum nouum sacrificiũ genus inducit, ita & nouum sacerdotium instituit. Paucis enim interiectis inquit idem dominus, Et assumam ex eis sacerdotes & leuitas. Ergo sacerdotium Aaronis infirmatur & tollitur. Ex gentibus enim quæ nulla generis propinquitate Hebræos attingūt, leuitæ atq; sacerdotes eliguntur. Quã acceptũ, vero sacrificiũ à nonis sacerdotibus oblatum

tum Deo futurum esset, ille apud Malachiam demonstrat. Sic enim Iudæos repellit, vt alienas gentes adiscat. Nō est inquit mihi voluntas in vobis. Ab ortu enim solis, vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gētibus: & in omni loco offertur & sacrificatur nomini meo oblatio munda. Hæc gētiũ cõuersio cum olim ab omnibus fere diuinis hominibus testata sanctissimisq; monimētis cõsignata sit, Iudæi tamen eã ferre non poterāt. Itaq; cum Paulus multa apud Lysia tribunum cum Iudæorum multitudine de Christi gloria disceptauisset; illius orationẽ patienter audierunt, vsque eo dum diceret, Se à Christo missum fuisse, vt nationes longinquas ad notitiã diuini nominis erudiret. Hoc autẽ audito exarserunt, & clamorem furibunde sustulerunt: vestibusq; in terrã proiectis nubẽ pulueris excitauerunt: & vociferati sunt altero quoq; verbo à Lysia cõtendentes, vt hominẽ nefarium qui tã immane facinus dicere ausus fuisset, in crucẽ tolleret. Iudæe quid furis? quid insanis? Dei ne causa? An tua potius laboras? Si Dei causã agis, stultissimus es. Quo enim illius notitia ad plures peruenerit, eo gloria illius erit in terris illustrior. Si dignitatẽ tuã imminui putas, inuidia vexaris. Non enim gentium salus tuam salutẽ, si fidem sanctã colueris, euertet. Interim velis nolis Deus gloriam suam in gentium conuersione vehementer illustrabit, quemadmodum Prophetæ prædixerunt. Non enim tantum Iudæorum Deus est, imo & gentium. Diues enim est in omnes qui inuocant illum. Non igitur gentium dignitas fontem immense benignitatis exhauriet. Ita igitur gentium vniuersitati prospexit, vt tibi aditum ad eandem benignitatem

benignitatem non intercluderet. Odium istud immane repellere: inuidiam quæ te exagitat, detestare: fidem arte cõplectere: & sic demum intelliges gentium conuersionem non tibi maioris, & angoris, sed lætitiæ summæ materiam præbere. Quo enim plures ex gentibus fratres hæreditatis diuinæ participes animaduertis, eo magis amplificatam, si in te aliquod vestigium pietatis & humanitatis residet, voluptatem ex Dei gloria & ex hominum salute percipies. Sed vt Iudæorum inuidiam omittamus, restat, vt paucis aperiamus, quam aperte viri sanctissimi regnũ Christi sempiternum fore prædixerāt. Quod si secus fuisset, non erat certè cur ille summus & sapientissimus Dominus tantam operam poneret in regno cõstituendo, quod erat exiguo temporis spatio circumscribendum. Ex illo namque non erat, vt Deus ipse promiserat, breuis salus, sed sempiterna postulanda. Bonum enim quo præstantius est, eo est finis illius acerbior. Itaque præstitisset, nunquam bonis frui, quam eisdem post voluptatis breuissimæ sensum, cum doloris acerbitate spoliari. Cum autem natura æternitatis appetentes simus, nullum bonum animos nostros explere potest, nisi quod fuerit constans & sempiternum. Bonorum igitur diuinorum promissio tam sacrati fœderis religione confirmata, nihil potest mortale & caducum, sed immortalis atque diuinum continere. Regnum igitur Christi nõ erat aliquo fine terminandum. Quod quidem non ratione tantum, sed diuinis testimoniis apertissimè confirmatur. Regnum tuum inquit Dauid, regnum omnium seculorum. Et sedes tua Deus sempiterna est, & sceptrum æquitatis,

sceptrum

sceptrum regni tui. Quod autem de Christo eo in carmine loquatur, ex eo quod sequitur clarè perspicitur. Amas, inquit, iustitiam, & odio persequeris iniquitatem: eo quod vnixerit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Cum vnctionis diuinæ meminit, eum sane Christum appellat: nomen enim Christi vnctum significat. Summus autem Christus est ille, quem vnxit Deus, vt Petrus ait, spiritu sancto & virtute. Quem spiritum Dauid vnguentũ lætitiæ nominat. Què tamen Christum Deum appellat, eumque à patre spiritus sancti muneribus perfusum esse demonstrat. Præ cõsortibus autem suis vnctum fuisse dicit, quia ex illo tanquam ex perenni bonorum omnium fonte vnctio diuina in omnes, qui illum sequuntur emanat: ita tamen vt nullius hominis diuini splendor & dignitas, sit cum illius splendore comparanda. Alibi verò idem Dauid de regni huius æternitate loquens ait, Et permanebit cum sole. Hebræorum vsitata loquendi consuetudine æternitatem designat. Isaias vero in eadem sententiam Super thronum, inquit, Dauidus, & super regnum eius sedebit, vt corroboraret & cõfirmet illud in perpetuum. Daniel item ait. Temporibus regum istorum Deus cæli regnum fundabit, quod nullis vnquã seculis interibit. Huius autem regni æternitas multo magis confirmat illius opes minime cõmodis huius vitæ cõtineri. Nihil est enim eorum quæ cernimus oculis, quod non sit interiturum. Sic enim Deus apud Isaiam loquitur. Suspiciate cælum, & terrã, & cultores illius intuemini. Cælum enim instar fumi dissipabitur: & terra sicut vestimentum atteretur: & omnia quæ cernitis interibunt: salus autè

mea perpetuo constabit: & iustitia mea non deficiet. Hæc ipse Deus apud Isaia testatur. Si igitur omnia quæ cæli ambitu continentur, ut diuinum testimonium confirmat, finem sunt habitura, & salus atque iustitia quæ Christi regnum erat allaturum, sempiterna est, quæadmodum & fides domini qui eam promisit, est sempiterna, quæ tandem amentia vexauit Iudeos, ut bona sempiterna ad opes fluxas transferenda putaret. Quis illos delusit? Eorum cupiditas, & mentis angustia, & animus terrenis rebus nimis addictus. Diuina namque testimonia clarissima sunt: quibus probatur Christi regnum bonis animi contineri: illiusque gentes vniuersas participes fore: illudque finem nullis vnquam seculis habiturum. Itaque diuitiarum terrestrium immanis cupiditas, & detestabilis inuidia, animique abiectionis atque demissi flagitium, & spes fallaces, & cogitationes inanes illos ex patrimonio celestis hereditatis precipites eiecerunt. Et tamen sunt qui dicant, nondum gentes vniuersas Christum sequi, quasi sit necesse per gentes vniuersas omnes homines intelligi, & non ex omnibus gentibus esse delectos, qui diuinam hereditatem cernerent: aut parum constet vniuersitatis nomine nationem vnâ voluntatis consensione conspirantem contineri. Nunquam enim deerunt qui pietati furenter aduersentur: & tamen interim ex omnibus nationibus permulsi alacritate mirabili ad Christum confluunt. Nondum signa persequimur: ea tamen quæ adduximus, pro signis habenda sunt. Mirifice namque cum regno Christi consentiunt. Sed aliud est etiam considerandum, quæ apte temporis, quod fuerat olim oraculis diuinis præfinitum, cum Christi ipsius ætate

conueniat. In primis autem Iacob moriens cum singulis filiis fausta & felicia precaretur, & quæ erant vltimis temporibus euentura prædiceret, sic Iudam filium affatus est. Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruice inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui. Tria fore commemorat, dum Iudam alloquitur: primum est, ut eum fratres eximie laudent: alterum, ut hostes viribus illius opprimantur: tertium, ut illum fratres adorent. Laus insignis honestati, victoria præclara virtuti, adoratio autem numinis sanctitati tribuenda est. Hæc autem in Iudam conuenire non poterant. Quæ enim laus Iudæ tam illustris extitit, ut tanto interuallo fratrum laudes exuperaret? Quas de hoste victorias consecutus est, ut merito dici potuisset, illum manu sua hostium ceruices oppressurum? Quo in loco fratres illum quasi numen in eo lateret, venerati sunt? Non igitur hæc oratio de Iuda, sed de Christo, qui erat Iudæ sanguine propagandus, habetur. Id autem Rabinorum sententia confirmat. Id enim decernunt, quoties in scriptura sancta reperitur aliquid vltimis temporibus futurum, toties illud quod scriptum est, esse ad Messie tempora referendum. Quem admodum hoc in loco cum Iacob filios admonuit, ut attente audirent, se quæ vltimis temporibus futura essent nunciaturum asseruit. Ea deinde quæ sequuntur magis perspicuum faciunt hæc præcipue ad Christum pertinere. Catulus inquit, Leonis Iuda præda filij mihi ascendisti, abiicit se & accubuit ut Leo, & quasi Leona, equis suscitabit eum? Leo est præda rediens ita decumbit, ut iacens, atque adeo cõsopitus omnibus formidini sit, ut ait nemo illum

excitare audeat. Robore igitur suo nixus confidenter accumbit, atq. somnum etiam capit. Hæc autem quo pacto in Iudam quadrant? Nam quas prædas egit ille? qua sui ipsius fiducia sine vlllo timore hostiũ placidissimo somno consopitus est? Quo vnquam terrore hostes suos exanimauit? An parum liquet hæc omnia de Christo sub Iudæ nomine prænunciata fuisse? Illius enim decus excellens omnes fratres admirantur: illius in bello vir tutem sempiterni hostes extimescunt: illius numen ij quos pater summus filios adoptauit, sanctissime colunt. Hic rectores tenebrarum spoliavit: & morti necem intulit, clarissimumque triumphum duxit. Cum autem in sepulcro decumberet, quis illius dormientis impetum & virtutem sustinuit? Tunc enim inferorum manium claustra reuellebat: & eorum copias inuicta virtute dissipabat. Addit deinde. Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, & legislator de femore eius, donec veniat qui mittendus est. Interpres ita vertit quasi *וְיָשׁוּעַ* apud Hebræos esset. Et ita fortasse scriptum aliquando fuit, & postea, vt alia similiter deprauatum. Nunc scriptum est *וְיָשׁוּעַ* quod multi interpretantur, quod ei, vt sit sensus, donec veniat, id quod ei promissum est. Hanc autem sententiam confirmant septuaginta interpretes. Sic enim vertunt *ὡς ἂν ἰλδὴ τὰ ἀποκρίματα αὐτοῦ*. Id est autem, donec veniant, quæ seruata sunt ei. Sunt qui verbum *וְיָשׁוּעַ* filium eius interpretentur. Quocumq. tamen modo hoc nomen Hebræorum explicetur, omnes consentiunt per illud vel Christum, vel Christi opes designari. Chaldaicus vero interpres Messie nomine hanc vocem explicat, Hoc igitur est

est quod dicit Iacob. Nunquam ex stirpe Iudæ principem & reip. moderatorem defuturum, donec Christus aduenerit. Itaq. factum est, vt tribus illa multos viros principes, & duces, & reges ederet, & multos etiã qui temp. auctoritate & consilio iuuaret, ex se procrearet. Quadraginta annis quibus Hebræi in solitudine versati sunt, Iudæ princeps semper fuit reliquis principibus antelatus. Itaq. primus castra mouebat: primus agmen ducebat: primus dona & victimas offerebat. Post Iesu filij Num mortẽ ad illã tribum auctoritas summa delata est, & maxima belli munera permissa. At postquã Dauid ex eadem tribu oriundus imperium, & nomen Regis obtinuit, regnum in eadem stirpe vsq. ad sedeciam Regem continuata successione permansit. Quantum autem hæc tribus excelleret dignitate, vel ex hoc existimari potest, quod cum militum delectus ex omni Isrãele habebatur, copiarum Iudæ separatim mentio fiebat. Postquam vero Hebræi Babylonem abducti sunt, nec in illa quidẽ seruitute Iudæ nomen atq. dignitas obsoleuit. Ob eam igitur causam Hebræi reliqui gentis nobilitate ducti Iudæ nomen secuti sunt, ita vt Iudæi omnes appellarentur. Libertate autẽ recuperata, Zorobabel qui nepos erat Iechoniae Regis populi moderationẽ suscepit. Pontifices deinde imperium tenuerunt, qui quãuis ex stirpe Leui procreati fuissent, erant tamen ijs qui originem à Iuda ducebãt sanguine cõiunctissimi. Vigebat præterea septuaginta senum auctoritas summa, qui postquam Iudæi Ierosolymam rediẽre, omnes, aut maxima eorum pars genus ad Iudam referebat. Hoc consilium Iudæi Senædrim vocabant, nomen Græcũ

nempe <sup>ouvi d'prou</sup> secuti. Multa namq. eiusmodi nomina post illud exilium, à Chaldeis, & Persis, & Græcis ascuerunt. Auctoritas huius senatus vsq. ad Herodē integra & inuiolata permāsit: & de illius consilio & sententia pontifices qui tādē Reges appellati sunt, reimp. administrabant. Nunquam igitur aut principes, aut Reges, aut reip. moderatores in Iudæ stirpe defuerunt vsq. ad Herodē, qui contra ius & fas cum esset Ascalonita, & à Iudæorū genere prorsus alienus, in regni opes inuasit. Is Aristobulum pontificem ad quem regnum iure veniebat, per summum scelus interemit, senatusq. gravitatem afflixit: ita vt nomen tantum cōsiliij atque senatus obtineret, vis autem & auctoritas penitus abrogaretur. Eo igitur tēpore. Christus natus est, quo regium nomen ad alienos translatum fuerat: quo Iudæ nomē occiderat: ita vt stirps ipsius Iudæ penitus excisa videretur. Et sic demum vaticinatio patris sanctissimi euētū verissimo cōprobata fuit. Huic prædictioni cōsentaneum est testimoniū Danielis attexere, quod est paullo fusius explicādum. Cū enim, vt ipse refert, Ieremiæ monimēta versaret, locum illum attētissima cōsideratiōe perlegit, in quo erat Iudæorū exiliū, quo Babylonē abducti sunt septuaginta annorum spatio definitum. Poterat tamen dubitari, an numerus ille esset expletus. Bis enim fuerāt Iudæi à Rege Babylonis in exiliū abducti. Primū quidē cum regnaret Ioachin, iterum vero regnāte Sedecia. Daniel igitur, vt de hac tēporis ratione certus esse posset, in preces cōuersus veniā sibi, & vniuerso populo summa cōtentione postulauit: & Dei infinitā clementiā obtestatus est, vt res Iudæorū afflictas respiceret.

spiceret. Angel⁹ autē Gabriel illi in precib⁹ occurrit, et his verbis eūdē affatus est. Daniel, nūc egressus sum, vt docerē te, & intelligeres. Ab exordio precū tuarū egressus est sermo, hoc est exitum habuit prædictio illa Ieremiæ qua de libertate populi vaticinatus est, quæ erat opera Cyri regis afferēda. Erat autē ille ānus septuagesimus ab eo quo Ioachin abductus Babylonē fuerat. Is autē erat primus annus Cyri, qui non solum Iudæis libertatē restituit, sed eos etiā multis muneribus affecit. Sed cum Ieremias nō modo futurā libertatē prædixisset, verū & vrbis instauratiōnē, & verissimā libertatē, quæ vera & sempiterna iustitia cōtinetur præmōstrauisset, nullumq. certum tēpus intra quod erāt illa summa Dei beneficia conferenda explicuisset, Angelus id aperiendum suscipit. Inquit igitur. Ego veni, vt indicārē tibi, quia vir desideriorum es, vt animaduertas verbum, & intelligas visiōnē. Et his quidem verbis ostēdit altissimarū, atq. diuinarum rerum ardētissimā cupiditatē nō posse diuinæ sapiētiae fructū destitui. Ait deinde. Septuaginta hebdomades definitæ sunt super populū tuū, & super ciuitatē sanctā tuam, vt imponatur finis sceleri, & obsignetur peccatum, & expietur iniquitas, & afferatur iustitia sempiterna, & obsignetur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorū. Cōmodum fuit, vt quæadmodū Ieremias septuaginta ānos illi libertati recuperāde præfinierat, quæ ad hāc vitā pertinet exiguam, & ærumnosam, & æui breuissimī spatio circumscripam, quam Cyrus erat allaturus: ita Gabriel Angelus numero septies multiplicato septuaginta hebdomadam tempus assignaret, intra quod erāt vera atque

sempiterna libertas opera Cyri, sed Christi optimi maximi illis qui cum fide illum sectarentur, magnificentissime conferenda. Illud autem satis perspicuum est, cum in sanctis literis duplex hebdomadam genus reperiatur, vnum dierum, alterum annorum, hoc in loco hebdomadas annorum intelligendas esse, quarum quaelibet annos septem continet. Sed quomodo hæc iucundissima libertas constituta sit, operæ pretium erit attendere. Vt imponatur (inquit) finis sceleri. Est enim scelus impietas in Deum, quæ quidem in se flagitiorum omnium seminarium cōtinet. Et obsignetur peccatum, ne videlicet extet & emineat, sed ita Dei beneficio tegatur, quasi nunquam commissum fuisset, quæadmodum Dauid dicit, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata. Et expietur, inquit, iniquitas. In quo nos admonet iniquitate religionem violari, quæ est sacris sanctissimis expianda. Et afferatur iustitia sempiterna. Repellit legis iustitiā in vmbriis positam, verissimæque iustitiæ fructum celestem atque sempiternum pollicetur. Cum vero seruitus nihil aliud sit, quam humilis & fracta mentis abiectæ demissio, iniquitatis atq. libidinis legibus astrictæ, & flagitio atque dedecori seruientis, illa certè demum vera libertas est existimāda, quæ pietatis iugum repulit: quæ peccati immanitatem profligauit: quæ tyrannidem iniustitiæ deleuit: quæ sempiternæ iustitiæ compos est. Ad eam vero iustitiam explicandam omnia legis atque Prophetarum testimonia referuntur. Et idcirco adiungitur, Et obsignetur visio & prophetia. Obsignata est visio & prophetia, cum fides legis atque prophetarum

eventu

eventu verissimo comprobata fuit: cum lex finem suum nempe Christum fuit mirifice consecuta. Omnia siquidem legis atque prophetarum monimenta ad Ioannis disciplinam, qui Christum indicauit conferuntur. Est etiam obsignata visio & prophetia: quia imagines rerum & prædictiones non ita necessariae sunt, cum veritas ipsa perspicitur, & solidi & expressi fructus bonorum diuinorum in animo fideli conduntur: & lux caelestis atque diuina mentis oculis vsurpatur. Sed vnde, aut cuius opera tanta copia munerum diuinorum erat ad homines peruentura? Per Christum certè inquit. Hoc enim significat cum ait, Et vngatur sanctus sanctorum. Ille nempe quem vnxit Deus spiritu sancto, & virtute. Sanctus enim sanctorum non modo propter sanctitatis excellentiam, sed etiam propter sanctitatis efficientiam nominatur. Nam non solum sanctus est, sed omnibus sanctis hominibus, sanctitatis causam attulit. Quemadmodum Ioannes ait: Et de plenitudine eius omnes nos accepimus. Hic opus erat, vt animus spe tantæ felicitatis erectus inquireret, vnde erat exordium temporis præfiniti capiendum, vt intelligeret, quo tempore erat humanum genus tam diuino beneficio cumulandum. Vt igitur Angelus Danielis voto satisfaciat ait, Animum aduerte, & intellige. Ab exitu verbi, vt instauretur & ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum principem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ. Ab exitu, inquit, verbi non libertatis, quæ iam parta est, de qua vaticinatus est Ieremias, sed ab exitu verbi de vrbis instauracione, quam idem vir diuinitus fore

c 5

præ-

prædixit, numerandæ sunt primum hebdomades septem, quæ sunt videlicet in vrbe ædificanda atque munienda consumendæ. Deinde aliæ sexaginta duæ, vsque ad illud tempus quo Christus princeps, quæ sanctum sanctorum nomino, se ad homines docendos dederit perducendæ. Quia tamen dixerat, Ab exitu verbi, vt ædificetur Ierusalem, docet quomodo ciuitas ædificanda sit. Ait enim, Instaurabitur & ædificabitur vrbis latitudo, & muri ambitus, & quidem in angustia temporum. In angustia, inquit, temporum propter eorum improbitatem qui opus impediebant, & Iudeos multis incommodis & angaribus afflictabant. Ait deinde, Et post sexaginta & duas hebdomades excindetur Christus, & non ipsi. Ab opere vrbis absoluto ad Christi necem, vt ex hoc loco perspicitur, duæ & sexaginta hebdomades effluxerunt, quibus si septem primas addideris, sexaginta & nouem colliges, post quas hebdomada nempe septuagesima, quæ numeranda restabat, erat Christus occidendus. Quid est autem quod ait, Et non ipsi? Quia nihil fuit in Christi supplicio de illius amplitudine, de illius imperij maiestate, de illius sacerdotij sanctitate detractum. Dedit illi namq. pater nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur celestium, terrestrium & infernorû. Si igitur excisus fuit, Iudeis excisus fuit. Nec enim illius præsentis numine liberari poterunt, donec dicat, Benedictus qui venit in nomine dñi. Paucis deinde interiectis ait, Confirmabit autem pactû hebdomas vnâ & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Hæc est autem hebdomas illa quæ numeranda restabat: intra quâ fo-

dus

cus nouum Christi sanguine factum fuit, & hostia, & sacrificium legis antiquæ defecit, & omnis adumbrata sanctitatis institutio interuēt u solidæ & expressæ sanctitatis euauit. Non enim sanguis vitulorum, aut hircorum Dei numē placare, & hominum gen<sup>o</sup> à sempiterna peste redimere potuit. Solus Christi sanguis pro nobis in cruce profusus vim sempiternā obtinuit, qui mētes humanas expiaret, patrisq. numē à seueritate, ad clementiā infinitā inflecteret. Dimidio igitur hebdomadis quæ Christus nouum fœdus sanguine proprio sancxit, vetustum fœdus abrogauit. Nunc autē cōsequens est, vt à quo tēpore sit hic annorum numerus ducēdus explicetur. Atq. primum Iudeorum sententia irridēda est. Sunt enim pēssimi antiquitatis auctores. Nec enim cū à sanctis literis deseruntur, Græcorum, aut Romanorum annales euoluunt, sed fabulas tantum suas legunt. Cum vero in locum paullo difficiliorē incidunt, vt se expediant, portenta cōfingunt, & tēpora vel cōtrahunt, vel dilatant, neq. iudicium suum rebus ipsis, sed res opinionibus suis violēter accōmodant. Inde factum est, vt secundum tēplum quadringentis & viginti annis cōstitisse dicāt, cum cōstet illud circiter quingētis & nonaginta annis integrū permāsisse. Hæc vero imperitiā Iosephus redarguit qui sexcētis & triginta & nouē annis secundum tēplum durauisse cōfirmat. Non enim à sexto anno Darij quo tēplum absolutum fuit, sed à primo Cyri anno, quo fundamenta illius iacta sunt, numerum ducit. Et quanquam Iosephus nō semper in annorum recensione valde diligens sit, nimis enim interdum memoria confidebat, illius tamen testimonium, in quantū

tem-



temporum ignorantione Iudæi recentiores versentur, clare demonstrat. Error autem illorum inde natus est, quod opinati sunt, per exitum verbi, quod est apud Daniele, non prædictionis effectum, sed orationis emissæ pronunciationem intelligi debere. Cum igitur hebdomadas septuaginta à Ieremie prædictione numerent, & eum numerum ad templi euerfionem pertrahere conentur, ut sententiam tueri queant, Cyri imperium annis tribus definiunt: Reges multos silentio supprimunt: ætates in angustum contrahunt: vsque eodum id quod temere suspicati sunt, verum esse persuadeant. In quo tamen seipsos iugulant. Quo enim citius hebdomadam numerum expletum fuisse constiterit, eo clarius eorum pertinacia conuincetur. Sed Iudeorum inscitia minime admiranda est. Sunt enim illorum sententiæ eiusmodi, ut passim eorum stupor immanis appareat. Eusebium autem virum longe doctissimum admiror, quid illi venerit in mentem, in tam absurdam sententiam incidere. Nam cum Africani sententiam in medium attulisset, suam tandem interposuit, qua statuit hebdomadam numerum esse à Cyri Regno inchoandum. Quod si fieret, non poterat vllomodo numerus annorum ad Christi vitam peruenire. Itaque in Herodis regno constitit, & Gabrielis effatum de Christi nece tum effectum habuisse dicit. Non enim per Christum principem Christum Dei filium intelligit: sed pontificiam dignitatem, quam Herodes afflixit, aut potius, ut ille dicit, omnino sustulit. Duos enim pōtifices nempe Hyrcanum & Aristobulum qui Christi more atq; præscripto legis

legis appellabatur, interemit: illudq. deinde munus ad eos, qui non erant ex stirpe sacerdotum pretio delegauit. Primū quidem hoc falsum est. Vt enim Herodes tyrannice pontificis dignitatem ab Assamoneis in alios quosuis homines transferret, non ita tamen, ut sacerdotalis generis rationem minime habendam esse putaret. Sed Eusebius memoria lapsus est, & id quod Iosephus tyrannis illis attribuit, qui Ierosolymam cū vrbis occasus appropinquabat, armis oppresserunt, qui in sacerdotijs mandandis, nullam Leuitici generis, sed pecuniæ rationem habebant, ad Herodem refert. Demde si ita esset, quorsum attinebat, illam hebdomadam distinctionem induci, ut primo septem, deinceps duæ & sexaginta ponerentur: postremo vna eademque septuagesima intra quam Christus occideretur, totum numerum terminaret? Deinde quomodo verum est, ut tum demum post illum annorum numerum vngeretur sanctus sanctorum, si vnctio hoc in loco vnctio legis intelligenda est? Antiqui pontifices non ungebantur? Quod igitur mirum Angelus nunciabat, si dicebat fore, ut id quod erat solenne, & vsitatum, & lege etiam constitutum in pontificibus illis fieret? Quod si dicas illud legis vnguentum obsoletū fuisse, & priscum morem vngendi pontificis abrogatum, dicam, si id verum est, nec Hyrcanum quidē fuisse legis ipsius vnguento delibutū. Præterea qui sanctus sanctorum poterat appellari, nisi tantum summus ille totius sanctitatis fons, & origo? Vellem præterea, ut explicaret Eusebius, quæ fuerit hebdomas illa, qua fœdus firmatum fuit, aut quæ religio fœderis illa fuit, aut quid illa sancitum extiterit. Tum vero sempiterna



terna iustitia quæ alia poterit esse, nisi quam Christus iustitiæ verissimæ atq. sempiternæ parēs & auctor induxit? Tū illud etiam falsum est, Herodis tempore sacerdotium abrogatum fuisse. Si enim id verum fuisset, nunquam Zacharias Ioannis Baptistæ pater litauisset: nunquam Christus leprosos sacerdotū iudicio cōmisisset: nunquā deniq. Cayphas cum esset omnium mortalium scelestissimus, aliquid tamen propter muneris pōtificij sanctitatē, afflatus diuino numine protulisset. Vt autem aliud nihil dicā, non aduertit Eusebius nō dixisse Gabrielem ab exitu verbi vt tēpli fundamenta iaciātur, sed ab exitu verbi vt ædificetur Ierusalē, vsq. ad Christū ducem, hebdomades septem & hebdomades duæ & sexaginta. Hæc igitur Eusebij sentētia respuatur, cum tā multa absurda cōtineat. Lōge rectius Africanus. Censet enim numerum hunc à vicesimo anno Regis Artaxerxis incundum. Hic autē annus fuit centesimus decimus quintus à primo Cyri anno, quo tēplum ædificari cæpit. Opus deinde fuit gentium finitimarum peruersitate sepe prohibitum: anno tandē quinto & quadragesimo, aut, vt Iudæi apud Ioannē dicebāt, sexto & quadragesimo, absolutum fuit, anno sexto Darij Histaspis filij. Post absolutum tēplum vixit Darius annis triginta, Xerxes illius filius regnavit annis viginti. Artaxerxis anno vigesimo (hi summam septuaginta annorum faciunt) Nehemias ab Artaxerxe ciuitatis instaurandæ facultatē impetrauit. Porro autē de his septuaginta annis quibus post absolutum tēplum vrbs immunita atq. deserta permāsit, est intelligendus ille Zachariæ locus quo sibi per visum demonstratum fuisse

fuisse dicit Angelum Iudeorum causam egisse, atq. dixisse, Dñe quousq. misericordiā nō tribuis vrbibus Iudæ, quibus iratus es his septuaginta annis? Si enim de septuaginta annis quibus Iudæi in exilio fuerunt loqueretur, inepta fuisset oratio. Hoc enim visum fuit diuinitus ostēsum Zachariæ, anno secundo Darij, qui fuit circiter cētesimus decimus ab eo quō Iudæi Babylonē abducti fuerāt. Quāuis autē eo tēpore quō id vidit Zacharias, illi septuaginta anni quos dicimus nōdū cæpissent, mirum videri nō debet, cum vt propheta, de diuina mente futura prænuiciauerit. Hi igitur anni septuaginta de quibus Zacharias loquitur, ab anno sexto Darij ad vicesimū Artaxerxis ducendi sunt. Ab eo vero anno sunt hebdomades Danielis (vt auctor est Africanus) inchoandæ. Nō erit tamē alienū, quā parum olympiadū ratio ab hac cōputandi ratione discrepat, animaduertere. Annus vicesimus Artaxerxis fuit olympiade, vt doctissimi viri phibēt, octogesima tertia, anno quarto. Annus vero quintus decimus Tiberij Cæsaris, quo Iōānes Christo viā munire cæpit, extitit olympiade ducentesima secūda, anno secundo. Inter vtrāq. igitur olympiadē centū decē & octo olympiades interiectæ sunt. Hæc quadringētos & septuaginta & duos ānos efficiūt. His si addideris vnum annū octogesimæ tertiæ olympiadis, & duas præterea ducētesimæ secundæ, quadringētos & septuaginta & quinque annos colliges. Huic rationi regnorum tēpora minime refragātur. Persarum enim regnum durauit annis ducētis atq. triginta: Græcorū vero imperiū annis circiter trecētis. Tot enim ab interitu vltimi Darij, ad Cleopatræ necē interfuerunt. Inde ad quintū

decimum, vel potius sextum decimum imperij Tiberij Caesaris, cuius principio Christus numen suum indicare cepit, anni circiter sexaginta numerantur. Hi summam annorū quingentorum atq. nonaginta faciūt. Ab hac summa, si annos centum & quindecim deduxeris, tot enim à primo Cyri anno ad viceesimum Artaxerxis cōputantur, reliqui sunt quadringēti & septuaginta quinque anni. His adiūcta septuagesima hebdomade, quæ nū. neranda restabat, post quintum decimū Tiberij Caesaris annum, quadringentorum & octoginta & duorum annorum summa conficitur, ita vt octo tātum anni desint, secundū olympiādū rationē ad summā septuaginta hebdomadam, quam Gabriel Angelus prædixit, explendā. Quod mirum videri non debet. Nec enim tā certus est apud Græcos olympiadum numerus, vt non sæpe inter se dissideant, dū quidam aliquid ad vnam olympiadem, alij ad aliam referunt. Præterea multum refert, quoto anno cuiuslibet olympiadis, aut quoto mense vnus anni, aut die aliquid gestum fuisse dicatur: quas temporum minutias exactè persequi est difficilimum. Accedit error scribarum, qui sæpe numerorum notis abutuntur, & vnum pro alio ponunt. Quare mirum videri non debet, multos in olympiadum ratione à verissima computatione discrepare. Africanus tamen, vt hunc nodū expediret, exemit ex integris annis dies intercalares, quos inferi certis annis opus erat, ne temporum perturbatio fieret. Nam cum Hebræi duodecim mensibus ad lunæ cursum descriptis, vt Græci atq. Romani ante Iulium Cæsarem faciebant, annum definirēt, & ita singulis annis vndecim dies & quarta circiter

vnus

vnus diei pars deessent, ad solidum annum qui solis naturali conuersione conficitur, necesse erat certis temporibus certum dierum numerum interponi, vt menstruæ lunæ cursus cum solis ratione congruerent. Hos igitur dies Africanus eximit, & ex illis ad rationem annorum quibus vtebantur Hebræi reductis, annos quindecim facit. Hos autem ad quadringentos & septuaginta & quinque annos, tot enim demonstrauimus inter viceesimum Artaxerxis annum, & quintumdecimum Tiberij intercessisse, adiungit, vt quadringentorum & nonaginta annorum summam expleat. Quod quidem nimis inconsideratè & nimis licenter effecit. Primum enim intercalares dies eximere, qui sunt insiti necessario, ne temporum perturbatio, & confusio sequeretur, non est explere certum & definitum annorum numerum, sed temporum ordinē certum & necessaria ratione constitutum disturbare. Deinde nō animaduertit vir diligentissimus vnam hebdomadem nempe septuagesimā in eundem numerū includi minime posse. Et namque post quintumdecimum Tiberij annum censenda est. Tolerabilius certè multo fuisset, non nimis olympiadum numeris astringi, quam vim contra ius & fas temporibus intētare. Sed vt opiniones omittamus, certum mihi est illius sententiam qui labi non potest arctissime complecti. Iudæi turpissime delirant: Eusebius toto cælo aberrat: Africanus vt ad olympiades adhærescat, tempora conturbat. At ego habeo certissimum antiquitatis auctorem, quem qui secuti fuerint, errare non poterunt. Quis inquis ille est? Daniel Propheta, aut vt rectius dicam, Angelus Gabriel, qui Danielē erudiuit.

d

Is

Is igitur dicit futurum, vt ab euentu prædictionis Ieremiæ, qua de instauratione vrbs illius Ierosolymitanæ vaticinatus fuerat, septem prius hebdomadas annorum, deinde post urbem videlicet instauratam, alias sexaginta & duas numeremus, quo tempore futurum dicit, vt Christus Pontifex, Rex, & Imperator noster vim sui numinis in sceleribus exterminandis, & in animis expiandis indicaret. Aliam deinde hebdomadem adiungit, quæ fœdus sanciret, & confirmaret, qua dimidiata, hoc est intra quam (nec enim semper medium in sanctis literis medium Arithmeticum significat) erat Christus occidendus, & per illud sacrificium sanctissimum adumbrata sacrorum sanctitas obliteranda. Hoc tempus effluxisse nouimus: & quo tempore transacta omnia sunt, exploratum habemus: vnde sint hebdomades inchoandæ minimè laboramus. Vt tamen quod opinor libere dicam, is sum qui putem, eos qui à vicesimo Artaxerxis anno numerum hunc annorum ducunt, errare. Quomodo? Inquires. Quia non eo anno vrbs edificari atque muniti cepit. Gabriel vero monet, vt ab exitu verbi, hoc est ab euentu prædictionis Ieremiæ de instauratione ciuitate numerum colligamus. Ergo si constiterit aliquot annis ante edificari urbem cepisse, non ne perspicuum erit, ab eo tempore, & non à vicesimo Artaxerxis anno septuaginta hebdomadas esse computandas? At id ex Nebemia facillimè constat. Narrat enim ille fuisse anno vicesimo Artaxerxis allatum sibi nuncium de incommodis quibus affecti erant illi Iudæi, qui Ierosolymam incolebant. Muri enim excisi fuerant &

gentibus

gentibus finitimis, & portæ vrbs exusta. Quos muros quæso disiectos, aut quas portas ambustas fuisse conqueritur? Illos ne muros, quos Chaldæi disturbauerant, aut portas, quæ fuerant in cinerè in vrbs cõmuni incendio redactæ? Ineptum certè fuisset, cladem quæ centum & quindecim iã annis accepta fuerat, quasi recentem calamitatè lamentari: aut certè de re tam antiqua, quasi paucis illis diebus accidisset, nunciũ afferri. Illi igitur muri quos vicinæ gentes maxima ex parte disiecerant, & portæ quas exusserant ad opus nouum pertinebant. Ergo constat multo ante vicesimum annum Artaxerxis mœnia & muros excitari cepisse. Sed quo tempore operis fundamēta iacta sunt? Num anno quinto Artaxerxis, quo tempore Esdras Ierosolymam venit, vt populum legis disciplinis instrueret? Non prorsus. Nec enim apud Esdras fit operis illius mētio, quod si tunc inchoatum fuisset, id Esdras minimè tacuisset. Esdras præterea primis illis diebus omnē operam, & studium in legis disciplina, & in ornamentis templi, & in constituenda religione consumpsit. Post aliquos annos, cum Artaxerxes egregia in Iudæos voluntate propenderet, factum est, vt illi ea principis humanitate freti muros & mœnia instauratione susciperent. At gentes finitimæ inuidia furentes opus maxima ex parte disiecerunt: & probris innumerabilibus Iudæos affecerunt. De hac iniuria grauem querimoniam apud Artaxerxem habuit Nebemias: & ad eam propulsandam opes & præsidium postulauit. Ierosolymā igitur profectus operā dedit, vt quod corruerat instauraret: & quod inchoatū fuerat absolueret: vrbeq. firmissimè munitet.

d 2

Quod

Quod tamen opus non ita facile perfici poterat, cum hostes in Iudeos frequenter incurserent. Iudei igitur necessario erant in duas partes distributi, ita ut una pars operi diligenter incumberet: altera vero pars armis hostem repelleret. Ex anno igitur Artaxerxis viceesimo vrbs Nebemie presidio liberius edificari, & frequenter cepit. Opus tamen aliquot ante annis inceptum fuerat, à quo tempore hebdomades inchoandæ sunt. Quotus ille inquires annus fuit? ut verum fatear ignoro. Hoc unum scio, nec fuisse quintum, neq. viceessimum Artaxerxis annum, ut demonstratum arbitror: sed aliquem inter hos duos annos interiectum. Si igitur Olympiadum ratio vera & constat est, si Artaxerxis viceesimus annus fuit quartus annus Olympiadis tertie & octogesimæ, & ita si ducentesima secunda olympiade anno secundo Ioannes sibi assignatum munus obire cepit, necessario concluditur exordium hebdomadam à duodecimo Artaxerxis anno sumendum esse. Sic autem ut ex ante dictis intelligi potest, olympiadum numerus ad rationem hebdomadam apte quadrabit. Octo namque anni qui deerant à principio edificationis sumi poterunt, cui rationi nullum sanctarum literarum testimonium repugnat. Sed ut iam ex his scopulis enavigare possit oratio, hoc certè constat, illud Gabrielis effatum de hebdomadam termino ad Christum humane salutis auctorem pertinere. Siue igitur, à primi templi excisione ut Iudei faciunt, hebdomadam sumas initium, siue cum Africano à viceesimo anno Artaxerxis numerum in eas, siue si olympiadum ratio constans est, ipsa nos facere admonet à duodecimo Artaxerxis

anno

anno hanc annorum summam efficere velis, siue quamcumq. aliam opinionem eorum, qui de hac questione disseruerunt, se qui constituas, hoc certè perspicuum est, illas hebdomadas multis ab hinc seculis effluxisse. Quæ igitur amentia Iudeos vexat? Quis eorum mentes furor exagitat? Quæ tam diræ pænæ gentem sceleratam, & impiam persequuntur? Quod tam dirum scelus in se conceperunt, ob quod sanitate mentis spoliantur? Quo l quidem supplicium tantum fuit, ut reliqua omnia mala magnitudine superaret. Nullum namque supplicium esse poterit mentis cæcitate funestius. At illi ita excæcati sunt in clarissimo numinis diuini testimonio, in certissima temporum ratione, in luceque meridiana, quasi in tenebris ruant, & errore immaniissimo compleantur. In qua quidem miseranda caligine debitas pœnas facinoris illius quod nullum maius cogitari potest, expendunt. Illum enim pontificem maximum non vñctione legis antiquæ, sed spiritus sancti numine perfusum, illum sanctum sanctorum totius sanctitatis & pietatis architectum, illum sceleris extinctorem, mortis euerforem, vitæ, salutis, atque dignitatis auctorem, qui diuinum statum omnibus offerebat, in crucem immaniissimè sustulerunt. Nunc veniat Aggeus, ut non minus vehementer perditæ gentis amentiam conuincat. Sic enim apud illum Deus loquitur. Adhuc semel & breui, commouebo calum & terram, & mare, & desertum, & incultum solum. Et commouebo omnes gentes, & veniet bonum cunctis gentibus expectendum: & implebo domum istam gloria. Maior erit gloria domus huius posterioris quàm prioris, dicit dominus exer-

d 3

citur

cituum: & dabo pacē in loco isto, dicit dominus exercituum.  
 Hoc in loco Deus ipse prædicit fore, vt secundum templum  
 primo clarius futurum sit. Id autē quomodo fieri potuisset?  
 Primum enim quod Solomō ædificauit, fuit magnitudine am-  
 plius, opibus illustrius, opere pulchrius, & magnificentius. Il-  
 lud non principes humiles, & inopes, non ita pridē ē seruitute  
 liberati, sed Rex opulentissimus, sapientissimus, summis sum-  
 ptibus extruxit: & singulari quadā religione dedicauit. In  
 illius antiqui tēpli dedicatione Deus præsentiam suam decla-  
 rauit, & quod maximū fuit olim placatissimi uirginis argu-  
 mentum, ignis à cælo demissus hostias admirabili incendio cō-  
 sumpsit. Erat præterea in primo tēplo arca fœderis, erant ta-  
 bule manu Dei ipsius inscriptæ, erat ignis sempiternus è cælo  
 demissus, erāt diuinæ elemētis monumenta. At in tēpli secun-  
 di statu res erāt afflictæ. Sic enim Iudæi libertatē recupera-  
 runt, vt nō omnino sui iuris essent, sed Persarū Regibus obe-  
 dirent. Interim vero vicinorum odio laborabāt, & bellis assi-  
 duè vexabātur: opusq. fuit sæpe multis incōmodis intermis-  
 sum. At postquā fuit absolutum, neq. flāma cælestis, vt asse-  
 runt Iudæi, hostias deuorauit: neq. epulū fuit vt olim, vniuer-  
 so populo munifice datū. Arca fœderis, ignis cælestis reliquæ  
 minimè cōparebant. Omnia namq. fuerant illis cōmuni exi-  
 tio & vastitate cōsumpta. Zorobabel quidē & alij qui prius  
 tēplum non viderant, gaudio exultabāt. Senes autē qui tēpli  
 antiqui magnificentia memoria continebant, cum cernerent  
 quantum secundum illud tēplum ab antiquo distaret, lamēn-  
 tis se dedebant. Et tamen Deus ipse dicit tēplum illud multo

clarius

clarius priore futurum. Claritatis autem rationem illam asse-  
 gnat, quod esset stante illo templo venturum illud summum  
 bonum, gentibus cunctis amabile & expetendum, quod erat  
 sui luminis splendore, templum illustraturum: & pacem ani-  
 morum omnibus, qui disciplinam illius acciperent, daturum.  
 Meum inquit est aurum, meum argentum. Quasi dicat, fa-  
 cillimè potuissē domum istā auro, & argēto, & margaritis  
 exornare. Sed aliæ sunt opes multo clariores, quibus templum  
 istud cumulare decreui. Implebo namq. domum istam gloria.  
 Quæ gloria poterat esse, quæ tēpli primi gloria superaret, ni-  
 si Christi ipsius numen atq. disciplina, qua tēplum ipsum ma-  
 gnificentissime decorauit? Aut ostendant Iudæi, quæ gloria  
 fuit illa tanto prima clarior & magnificentior. Num est ali-  
 quis adeo tardus & hebes, qui nō videat hanc diuinā promif-  
 sionē ad Christum pertinere? Quis enim alius esse potuit, in  
 quo gentes vitæ præsidia collocarēt? Quis salutē dare, & sem-  
 piternā pacē conciliare posset? Ergo illo tēplo stāte opuserat,  
 vt Christus adueniret: vt diuini promissi fides euentu certissi-  
 mo cōprobaretur. At tēplum illud est dirutū, euersum, flam-  
 mis exustum, monumenta omnia cōminuta atq. dissipata: &  
 tamen illi cum diuinū beneficium summa fide præstitū asper-  
 nati sint, spē alterius beneficij in inanitate constituendā arbi-  
 trantur. Quid exspectant miseri? Cur tā multis seculis se spē  
 fallacissima deludi patiuntur? Cur euerso tēplo, quo stante be-  
 neficium illud summū conferēdum erat, non similiter incisas  
 inanes cogitationes esse considerant? Cælum in nostræ salutis  
 exortu nouo gaudio cumulātū fuit: terræ noua et insolita luce

d 4

collu-

collustratæ sunt: gentes vltimæ certatim ad Christum inflammato studio confluerunt: soli Iudæi in spē tam diuini muneris enutriti minimè cōmouentur: salutem suam produunt: summumque Dei beneficium execrāda temeritate cæci repudiāt. Tempus oraculo diuino præfinitum cernunt: ipsi tamen se ad inania quædam secula, quæ sibi finxere reseruant: templum funditus euersum lugent: & tamen suæ vitæ atq. salutis interitum minimè lamentantur: Christi aduentum Deus nō in tempus ita longinquum differendum esse promiserat: at illi neque tam multis seculis sine vllō fructu transactis quam inani fiducia nitantur edoceri volunt. Id interim animaduertendum est, quam singulari ratione optimus ille parens & dominus eorum saluti prouiderit. Erant illi quidem signis & imaginibus ad Christi fidem paulatim instituendi, antequā Christus adueniret. Sed ne vmbri assuefacti studium ipsius veritatis signis adumbratæ abijcerent, Deus signa remouebat, vt veritatem intueri condiscerent. Tabernaculum fuit opere excellenti constitutum, vt tabernaculum illud, quod non erat à loco in locum mutandum, nempe in quo Deus erat semper habitaturus obscure designaret. Homines in tabernaculo illo vitæ præsilia constituenda putabant. Fuit igitur vtile, vt illud tabernaculum dissiparetur. Regnum erat fundandū quod imaginem regni sempiterni gereret. Ne autem homines in Solomonis regno spem salutis reponerent, fuit necesse regni illius opes diuidi, & imminui, tandemque extinguī, atq. deleri. Templum similiter quod diuini templi, quod est Christi corpus, similitudinē cōtinebat, similiter excisum & inflā-

matum

matum fuit: sacerdotium ob eam causam funditus euersum est: secūdum templum eundem casum subijt: omnia deniq. signa remota sunt, ne contemplationi veritatis ipsius officerēt: & tamen Iudæi spoliati signis omnibus, nudati rerum imaginibus, mentem in verum templum signis designatum intendere, illudque intueri recusant.

## DE SAPIENTIA

## LIBER SECVNDVS.



LLI quidem qui diuinorum hominum scripta diligenter euoluerint, & prophetarum monimenta exactè perpenderit, & quā apte omnia quæ de Christi virtute, sanctitate, numine sempiterno, de tēpore deniq. quo erat terras lustraturus, cum illius actibus & vita conueniant, mente perceperint, non profecto signa Iudæorum more flagitabunt. Omnia enim ita sunt clara & illustria, vt in dubium vocari minimè possint. Instant & vrgēt nihilominus Iudæi, atq. signa petunt, quasi potuerint vnquam illi, quorum animi ad cælestem disciplinam prorsus obduruerint, vllis signis ad sanitatē reuocari. Vt tamen illis aliquo modo satisfaciamus, aliquot signa oratione perstringemus, quorum quædam Christi ortū antegressa sunt: quædam autem cum illius ætate coniuncta fuerunt:.

d. 5,

fuerunt: quædam postremo mortem illius & ascensum in cælum, & euægelij latissimè diffusæ disciplinæ consequuta sunt. Vt ab antiquioribus & obscurioribus signis ordiamur, Isaac cum humeris ligna portauit, quibus erat, vt pater in animo habebat, inflammandus, Christi humilitatem, & obedientiam, & animi ardorè, quo erat pro salute humani generis immolatus luculenter expressit. Iacob cum iter in Mesopotamiam haberet, & Deum innixum scalæ quæ in cælum penetrabat, per somnium vidit, Christi mētē sanctissimam, cui diuinum nomen incumbit, mente contemplatus est. Ille enim scala est, per quam ascensus in cælum datur: & per quam ad nos bona cælestia Angelorum opera deferuntur. Itaque vir sanctus postquam experrectus fuit, tanti mysterii cōsideratione tremuit: & ait, Vere dominus erat in loco isto, & ego nesciebā. Deinde quam terribilis est inquit locus iste? Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Domus enim Dei est. In illo enim Deus verè atq. semper inhabitat: est etiā cæli porta, nemini enim vnquam aditus in cælum nisi per Christum patuit. Et vt magis quod animo continebat, signo aliquo designaret, lapidem in monumentum statuit, quem oleo perfudit. Lapis enim Christum, quem literæ sanctæ lapidem appellare solēt, significabat: similiter & oleum, vñctionis diuinæ, qua Christus perfusus fuit, mysterium continebat. Ioseph à fratribus nefarie proditus, & spoliatus, & venditus, & in carcerem insidiis impurissimæ mulieris inclusus, & è carcere tandem liberatus, & in summo imperio constitutus, vt Aegyptios primum, deinde genus suum aleret, atq. sustentaret. Christi for-

mam

mam gessit, qui erat suorum scelere prodendus, pecunia hostibus addicendus, crudelitate & inuidia necandus: & è mortis carcere virtute diuina reuocandus: vt primum gentium vniuersitatem cælesti Pabulo nutriret: atque postremo Iudeorum genus ad illum conuersum eodem Pabulo satiaret. Moses in ortu suo ad necem quæsitus, postea à suis improbatus, & metu in exilium pulsus, atque tandem populi princeps, libertatis vin lex, salutis auctor, legislator, sacrorum antistes effectus est, vt Christi similitudinem gereret, qui vt tyranni crudelitatem deuicaret, exulauit, & inde reuersus salutem, libertatem, & dignitatem suorum constituit: legem sempiternam sanxit: se in sacrificium obtulit: proprioque sanguine li: auit: violatamque religionem expiauit: nostraque flagitia in profundo demersit, vt inuitis hostibus à quibus expulsus & eiectus fuerat, imperio atque sacerdotio sempiterno fungeretur. Virga Moysis in colubri speciem versa regiam Christi maiestatem in similitudine carnis peccati latentem (alieni siquidem peccati pœnas ipse luit) apertè designauit. Horror ille, qui Mosem perfudit, ita vt virgam fugeret, crucis offensionem quæ à Christo Iudeos alienauit, luculenter expressit. Cum vero Moyses Dei iussu caudam serpentis apprehenderet, virgæ pristinam speciem redditam aspexit: vt futuram Iudeorum conuersionem adumbraret, qui vltimis exilij temporibus ad Deum conuersi in Christo non peccati similitudinem, sed Regij decoris amplitudinem intuebuntur. Quid azymorum pastus? Quid herbarum agrestium amaritudo? Quid agni sanguis

aduers



edium postibus atq. superis liminibus aspersus? Quid illa in  
 agno vorando celeritas atq. festinatio significabat? An parū  
 liquet istis signis & vitæ puritatem, & dedecoris admissi do  
 lorem, & sanguinis illius quo sumus à peste sempiterna redē  
 pti, virtutem, & ardentissimum pietatis studium quo Chri  
 stus est in animi visceribus condendus, & summam denique  
 Christi benignitatem adumbrari? An hæc omnia, si non fuif  
 sent maximarum rerum signa, tanta cæremonia & religione  
 fuissent imperio summi & sapientissimi domini, qui nihil si  
 ne caussa molitur, & efficit, designata atq. constituta? Hæc  
 si Iudæi nihil significare dixerint, Deum ineptiarum impie  
 & furenter insimulabunt. Si rerum maximarum significa  
 tionem continuisse confessi fuerint, ostendant, quid maius &  
 amplius, & salutaris generis humani salute, Christi sangui  
 ne constituta signis illis portendi atque præmonstrari potuis  
 set. Nubes die solis ardorem arcebat, nocte lumen præfere  
 bat, & ut iter monstraret anteibat, ut præsidium spiritus di  
 uini quod Christus ipse suis afferre solet adumbraret. Illius  
 namque præsidio fit, ut dum illum sequimur, nec ullus nos  
 infestæ cupiditatis atque libidinis ardor amburat: nec ullus  
 error mentis aut flagitiorum tenebræ à recta via deducant.  
 Mare Ægyptios absumpsit: Hebræis viam latam in mediis  
 fluctibus aperuit: ut intelligi posset, scelera eorum qui à  
 peccatis auersi Christum secuti fuerint, esse gurgitis pro  
 fundi fluctibus obruenda: & illis aditum per medias aquas  
 aperiendum: quo cursum iustitiæ cum laude sempiter  
 na conficiant, atque in celum tandem ascendant. Ros  
 admi-

admirabilis è cælo demissus multitudinem aluit: è lapide Mo  
 sis virga percussa aquæ perennes emanarunt: quibus omniū  
 sitis restincta fuit: ut cerneretur vitam omnium nostrum es  
 se pane cælesti sustentandam: animorumque sitim muneri  
 bus diuinis quæ ex Christo diuina seueritate percussa proflu  
 xerunt, explendam. Adde nunc tabernaculi extruccionem,  
 sacerdotique religionem, fæderis sacramentum, varias lustra  
 tiones, & expiationes. Adde brutorum animantium stragem,  
 sanguinis effusionem, carniū nidorem, & aceruos cinerum,  
 quibus rebus omnibus, si eæ nihil quod esset Dei maiestate  
 dignum, significabant, quid magis ineptum & superstitium  
 cogitari poterat? Num inquit ipse Deus comedam carnes tau  
 rorum: aut sanguinem hircorum potabo? ut autem nemo du  
 bitare posset illa omnia magnarum rerū signa esse, illa Dei  
 verba toties repetita cernimus. Omnia inquit, fac secundum  
 exemplar, quod tibi monstratum est in monte. Quæro igitur  
 à Iudæo, cuius rei sibi in monte monstratæ Moses similitudi  
 nem secutus est, cum tam multiplicis operis fabricam desig  
 nauit? Quid vidit? Quid inspexit? Necessè namque erat,  
 ut aliquid multo pulchrius opere quod molitus fuit, animo  
 complecteretur, ad cuius formam & speciem, omnia forman  
 da præscriberet. Aliter enim pulchrum opus minimè fieri po  
 tuisset. Nec enim opus aliquod laude dignum fingi & effi  
 ci potest, nisi in artificis mente species illustris insideat, qua  
 nihil in eo genere pulchrius cogitari possit, quam artifex imi  
 tari conetur. Quæ igitur species illa fuit? Si dixerint Iudæi:  
 inanem quandam imaginem in monte apparuisse, quæ taber  
 naculis



naculi faciendi similitudinem cōtineret. Ergo tabernaculum quod extructum postea fuit, multo certè fuit specie illa inani præclarius. Magis igitur erat, cur inanis illa forma ad exemplum tabernaculi fingeretur, quam tabernaculum ad imaginis inanis exemplum. Si dixerint speciem illam quam Moses in monte vidit, solidam fuisse, rursus interrogabo, quomodo tam cito euauerit. Deinde quid opus alia molitione fuerit, cum tabernaculum illud, nempe quod esset, si illi vera loquuntur, à Deo fabricatum, multo melius religioni seruire potuisset. Quererem deinde quod exemplum vtriusque tabernaculi extiterit, cum nihil omnino ab artifice fieri possit, quod nõ ad aliquod exemplum mente perceptum dirigatur. Non igitur species inanis illa fuit: tum enim exempli perfectionem & pulchritudinẽ minimè contineret: neque solidi operis fabricatio, sic enim opus altero tabernaculo non fuisset. Itaque exemplum illud, quod vir diuinus lumine & splendore diuini spiritus illustratus mente & cogitatione complexus est, id fuit, quo nihil pulchrius, nihil perfectius, nihil magis suis omnibus numeris & partibus absolutum cogitari potuisset. Potest autem quidquam pulchrius, clarius, & magnificentius cogitari Christi sacerdotio, sanctitate & religione? Non certè. Ille enim est illud verum, immobile, sempiternum tabernaculum, in quo Deus, vt prædixit Isaias, sibi sedem stabilem atque sempiternam cōstituit: ille sacerdos sanctissimus, qui pacem nobis sempiternam conciliauit: ille sacrificium acceptissimum, cuius meritis atque virtute patris numen placatur, & nobiscum fœdere sempiterno cōiungitur.

Hoc

hoc si Iu leus fateri non vult, aliquid aliud quod Deum magis deceat, ostendere conetur: vt magis animi sui tenebris damnati stuporem & amentiam demonstret. Populus tædio & labore cōfectus in Deum petulenter inuectus est. Deus in scelere viuidictam serpentes immisit, qui morsu ignito atque venenato multos interemerunt. Populus errati veniam flagitauit. Moses Dei iussu serpentem æneum finxit, & basta in altum proposuit: vt omnes qui erant serpentium moribus idèi in æneum serpentem intuentes sanarentur. Quæro igitur illa sanandi vis in ære fuit? An in serpentis figura? si fuit in ære, cur non illud ad sanandos morsus viperinis adhibemus? Si in figura, cur non multo magis eandem vim serpentibus viuis ascribimus? Si vero sanitatem neque materia, neque forma serpentis sed diuina tantum benignitas attulit, quid atinebat, æneum serpentem conflare, & sublimem tollerẽ? An Deus nisi formam illam tetram & horridam asciuisset, non potuisset hominibus ope præsentissima medicari? vertant se in omnia Iudæi. Nec enim aliam causam serpentis constlandi & tollèdi reperient, præter Christi signum. Christus enim qui peccatum non fecit, cum actus in crucem peccati pœnam sustinuit, peccati similitudinem vt peccata nostra sanaret, arripuit. Hoc autem experiundo sentimus. Quoties enim antiqui serpentis morsu sauciati in Christum pro nobis in crucem sublatum intuemur, opemque illius suppliciter imploramus, sanitatem confestim recipimus. Muri Iericho tubarum clangore corruerunt, vt euangelij vis insignis fieri posset, cuius sonitu Satanae propugnacula

& munitiones dei ciuntur, & funditus euertuntur. Similiter  
 Gedeon non armis, sed lucernis & tubarum clangore Mada-  
 nitas exterruit, vt simili signo splendor atque vis disciplina  
 celestis explicaretur. Samson solus inermis funibus alligatus,  
 hostium crudelitati permissus, eorumque multitudine circum-  
 fusus vincula perripit: asini maxillam corripuit: in hostes fe-  
 rociter inuectus mille occidit: reliquos in fugam conuertit, vt  
 Christi robur inuictum portenderet, qui proditus & relictus  
 a suis, & hostium immanitati traditus, & cruci tandem affi-  
 xus, atque mortuus, & in sepulchrum inclusus in mares in-  
 feros inuisit: inimicorum stragem edidit: mortis vincula per-  
 fregit: Apostolorum rudi simplicitate demonis infestissimi  
 copias fudit, illiusque arces & mœnia disturbauit. Ionas quæ  
 balena deuoratum post triduum uiuum & incolumem in li-  
 tus euomuit, num obscure Christum mortis faucibus absumen-  
 dum, & die tertio suscitandum hoc tam admirabili signo præ-  
 monstrauit? ætas me deficeret, si vellẽ omnia signa quæ Chri-  
 sti ortum antecessere, consecrari. Neque enim sacrificiorum  
 genera, neque instituta libamina, neq. Dauidis regnum, neq.  
 Solomonis amplitudinem, neque templi sanctitatem, neque  
 alia multa tacuissẽ, quæ Christi imaginem cõtinebant. Sed  
 vt modum orationi statuamus, consentaneum est, vt ea signa  
 summatim perstringamus, quæ cū Christi ipsius ætate con-  
 iuncta fuere. Non hic dicam quomodo antequam Christus  
 nasceretur, id Gabriel Angelus Mariæ pronunciauerit: quan-  
 tam letitiam celestis nuncius pastoribus in pecorum custo-  
 dia vigilantibus attulerit, quam iucundo concentu & har-

monia

monia celites Christi natalem diem celebrauerint, quanto me-  
 tis ardore Magi ab vltimis terris, vt puerum adorarent ad-  
 uenerint: stelle ductum & reliqua signa præmittam, quæ  
 Iudæi minimè confitentur, vt ea quæ confitentur attingam.  
 Iacob futurum prædixerat, vt non deficeret ex stirpe Iudæ,  
 qui princeps esset in populo, donec Christus adueniret. Da-  
 niel tempus præfinitum asseruerat, intra quod tempus erat  
 Christus venturus. Aggæus futurum prænuiciauerat, vt  
 stante illo secundo templo veniret ille generis humani libera-  
 tor, in cuius benignitate gentium salus erat collocanda. Ne-  
 mo dubitabat, quin tempus illud elapsum fuisset. Necessitas  
 opem diuinam in rebus propemodum euersis flagitabat. Re-  
 gnium enim conciderat: pontificum auctoritas erat imminu-  
 ta: populi libertas oppressa: reip. status omnino conuulsus: re-  
 mediū cupiditas animos omnium sollicitabat: spes eos interdū  
 erigebat. Neque deerant interim, qui tanta opportunitate te-  
 poris abusi Christi nomen impudenter assumerent. Sic enim  
 Theudas, sic Iudas Galileus, sic Ægyptius ille, cuius (vt est  
 in actis Apostolorum) mentionem fecit Lysias, sic tandem  
 alij viri pestilentes in Christi nomen inuasertunt. In hac igitur  
 tanta animorum fluctuatione, quid Iudæis faciendum erat,  
 vt verum Christum a falso distinguerent? Primum quidem  
 anima luertendum, an is qui se Christum esse iactaret, esset  
 ex tribu Iudæ, & ex stirpe Dauidis oriundus: an natus esset  
 in Belyhem, vt propheta Micheas futurum prædixerat, an  
 esset pauper: an mitis & humilis, an superbis infensus: an sup-  
 plicibus benignus: an iustitia & sanctitate præcelleret: an ho-

e

minibus

minibus caelestis iustitiae disciplinam traderet: an postremo signa virtutis diuinae daret, quae fuerant (vt olim Prophetae dixerant) opera illius edenda. Tunc enim erant venia digni, si signa peterent, vt illis admoniti intelligerent, quis verus Christus esset, & quis se Christum ementiretur. Si autem viderent omnia quae de Christo diuini viri, vel de genere, vel de natali solo, vel de moribus, & vita, vel de doctrinae ratione dixerunt, in Christum quadrare, illum tunc sine vlla cunctatione sequerentur. Vt autem genus, & natale solum, & sanctimoniam illius quae optimè cum praedictionibus prophetarum conueniebant, omitamus, quis illo tempore caecis visum, surdis auditum, mutis eloquentiam, leprosis sanitatē donauit? Quis aegrotis omnino desperatis salutarem medicinam adhibuit? Quis frenū tumidis fluctibus atq. procellis iniecit? Quis demones e corporibus quae obsessa tenebant, eiecit? Quis mortuos atq. adeo sepultos voce tantum in vitam restituit? Multa signa prophetae per illum danda praedixerat: illa & alia multa edidit, quibus apertissimè suū numen ostēdit, neq. vos o Iudaei ab illo opera nimis admiranda facta fuisse negatis. Quis ergo vos impedire potest, quo minus illius numē vereamini? Signa quidem inquit ab illo nimis admiranda facta fuisse fatemur: sed illa fuisse diuina virtute edita negamus. Quis ergo alius tunc signum diuinae virtutis ostendit? Nemo. At tempus instabat, & signis erat vobis explorandum, quis vere aut falso Christi nomen vsurparet. Quod si nullum alium auctore operum mirabilium proferre potestis, & miracula cum prophetarum praedictionibus, cum temporis opportunitate, cum an-

norum

norum praefinitione congruebant, quae malum fuit ista temeritas, atq. vesania, quae vos à via salutis auertit, & in tantum & tam immane scelus precipites exturbauit? Non igitur tēpus solum ad diuinorum hominum praedictiones & effata praefinitum, nec opera tantum mirabilia numine nostri liberatoris effecta vos impietatis execrabilis detestādo scelere cōdemnant: sed etiam ipsi contra vos testimonium dicitis, vosq. sempiterno supplicio dignos esse iudicatis, cum opera à Christo edita fuisse fatemini, quae nemo vnquam vir diuinus, quāuis mira sanctitate praecelleret designauit. Et tamen tam impudentes estis, vt opus quod nullo modo nisi diuino numine fieri potest, humanis artibus effici potuisse cōtendatis? Quod si etiam signis editis vobis adhuc dubitandi materia restabat, & vos nullam notam habetis, qua signa diuinitus ostensa à reliquis signis interoscatis, quid vobis ad explorandam veritatē reliquum secistis? Argumenta contemnitis: signa postulat: ipsi rursus signa furenter eluditis. Sapientia autem vobis non aliter quam aut argumētis firmissimis, aut signis clarissimis parāda est, quorum vtrumq. repellitis. Restat igitur vt semper amentes & stupidifitis. Fingite animis Messiae illius quem impie & inaniter expectatis aduētum. Nunquid ab illo signa postulabitis? An absq. signis estis cuius fraudulento fidem habituri? Si absque signis vllis credituri estis, reliquum est, vt quemuis circumforaneum praestigiatores sequamini. Si vero ab illo postulaturi estis signa, in quem finem quaeso? Quomodo enim poteritis discernere, an signa illa sint diuinitus edita, an humano artificio conficta? Deinde

e 2

quis

quis ille tantus & tam immanis furor extitit, vt ea, quæ nullo modo nisi à Deo fieri possunt, artibus humanis ascriberentis? Non cernitis homines amentissimi à vobis Dei nomen violari, gloriam obscurari, numen illius contemni: & interim non toto corpore cōtremiscitis, nec iudicium extimescitis? Homines olim, qui gloriam Deo debitam ad homines, aut ad simulacra transtulerunt, nunquam tantum commentitijs numinibus tribuendum esse statuerunt, vt eis vim istam concederent, vt signa darent, quæ vos nescio qua dementia vexati artificio humano fieri posse contenditis. Dæmonibus quidem aut hominibus fortasse licebit oculos eruere, necē inferre, membra debilitare: at visum reddere, vitam restituere, nemo potest, nisi solus Deus bonorum omnium principium, & fons. Ille namque solus est, cuius ope lux, vita, salus, dignitas omnium continetur. Et tamen vos eo dementiae progressi fuistis, vt Dei ipsius gloriā ad artes humanas, vel vt rectius dicam, stygias transferre niteremini. O deplorandam cecitatem, ô scelus execrandum, ô dirum supplicium, quod infandæ facinoris isto tanto furore mentis exoluitis. Nullum enim supplicium est amentia, & cecitate detestabilius. Creditis ne Isaiam virum diuinum fuisse? Credimus inquit. Prædixit Isaias futurum, vt opera Christi cæci viderent, surdi audirent, muti loquerentur, claudi discurrerent. Videtis cæcos clarè cernere, surdos audire, mutos loqui, claudos ambulare, quid amplius postulatis? & tamen diuinæ virtutis signa humano artificio tribuetis? Sed quæro, quæ nam fuerit ars, illa mirabilium operum effectrix. Deinde Christus eam ab alio didicit,

didicit, an per se primus inuenit? Si ab alio didicit, quis magister illius extitit? aut quibus signis magister illius artis suæ disciplinam nobilitauit? Si vero Christus magistrum nullum habuit, qua ratione tam admirandam artem ingenio consequutus est? Non didicit inquit aliunde, neq. artem ipse peperit. Sed fuit ars illa patribus antiquis sine scripto tradita, ne res sacrosancta in vulgus emanaret. Hæc autem scientia quæ cabala nominatur, nominis diuini expositione cōtinetur. Qui autem hanc diuini nominis explicationem fuerit affectus, res admirandas efficiet. Erat autem in adyto templi lapis in quo arca fœderis olim locata fuerat. In eo lapide erat explicatio diuini nominis incisa. Ne autem hæc nominis explicati notitia vulgaretur, & ita rerum omnium mutatio fieret, duo canes ex ære facti sunt, vt siquis ingressus adytū litteras illas legeret, & expositum nomē memoriæ traderet, canes horrendum in modum vtrinq. latrarent, vt ita ei qui nomen memoria cōtinebat, ex animo confestim nomen elaberetur. At Iesus Nazarenus cū esset mira sagacitate præditus, in adytum se fraudulenter intrusit: nomen in charta descripsit: fœmoris cutem dissecuit: chartam in fœmur inclusit: cum exiuit, canes oblatrarunt: is nominis vim cōfestim oblitus est: sed domum rediens cutem rursus aperuit, vi namq. ipsius nominis sanata fuerat: & chartam euulsit, & expositum nomē edidicit, cuius vi res illas vehementer admirandas efficiebat. Hæc quidem homines perditissimi commenti sunt, ex quibus quam detestanda cecitas eorum sit, clarè perspicitur. Qui enim hæc adeo non dico furēter & impie, sed inepte & insulse

confringunt, non sunt quibusuis canibus impudentiores: & ipso ære è quo canes illi facti sunt duriores? Quis canibus æneis sensum, & solertiam, & latratum dare potuit? Si homo ille fuit, quis in terris extitit, qui tantum artificio Dædalum superaret? Aut quomodo tam excellentis artificis nomen euauit? Si vero vis alia fuit humana præstantior, fuit ne illa Deo, an demonibus ascribenda? Si diuina vis illa fuit, cur illam calliditas humana fefellit? Si dæmonis artificio facta, cur operibus dæmonis fuit locus in Dei sanctissimo tēplo designatus? Præterea tātæ disciplinæ ratio in paucis ne literis, an in grandi volumine consistebat? Si in paucis literis, cur nō omnes qui cabalæ operam dant, qui sunt innumerabiles miracula edunt? Si grande volumen illud fuit, quo tandem modo potuit in fœmur includi? Præterea quid opus fuit vulnere, cum potuisset, si paruū volumen erat illud, vestis integumento contegere? Sed cum commētum sit ineptissimum, ineptiarum suspicionem minimè vitabit, qui contra illud plura disseruerit. Illud tamen est valde considerandum, qui mētis error, quæ tenebræ vexent improbos: quæ furie eorum animos, qui veritatem odio persequuntur exagitent: quibus mendacijs operam dent: quibus fabulis & quam male concinnatis incumbant. Reclissimo namq. Dei iudicio fit, vt qui lucem fugiūt, tenebris obruātur. Hoc tamen illis interim debemus, quod signa mirabilia à Christo edita fuisse confitētur, quod est verissimum. Id quod fingunt ppter fabulæ stultissimè cōfictæ vanitatē nobis officere non potest. Sed ab his miraculis, quæ Iudæi nimis stulte & imprudenter ad Cabalā referunt,

abeamus,

abeamus, vt alia signa multo clariora consideremus. Nec est enim valde mirādum signum cæcis aspectum reddere, qui sit intra breue tempus morte delendus. Illud est diuinæ probitatis atq. potētiae signum clarissimum, homines qui mētis cæcitate laborabāt, luce diuina frui, res cælestes inspiciere, amore diuinæ pulchritudinis inflāmari. Nō ita magnum beneficium est, mutis sermonis vsu restitui: linguā vero maledicētia corruptā sanari, & in laudibus diuinis exerceri, munus & beneficium est perpetua prædicatione celebrandum. Sic etiā non tam admirabile est, lepræ maculā delere, quā vitiorū omnium sordes eluere: neque tam salutare, dæmones è corporibus expellere, quam mentes eorum tyrannide oppressas in libertatem vindicare: neque postremo (vt alia præmittam) tantum est diuinæ virtutis argumētum, mortuos in vitā reuocare, quātum extinctis animis vitā & lucē concedere. Quo enim animus corpore præstantior est, eo sunt munera quæ in animum conferuntur, ampliora. Vulgus quidem ea signa magis admiratur, quæ in corporibus aspiciuntur, quia quæ fiunt in animo, non ita perspicit. Re autem vera tantum hæc quæ animis tribuuntur excellunt, quantum nullius oratione explicari potest. Nec enim erat digna caussa, cur Dei filius in terras descenderet, vt corporibus ægris, quæ erant paullo post interitu consumenda mederetur: sed vt animos ad naturam diuinā aptos, & ipsius Dei imaginē referentes è pestiferis morbis eriperet. Quid igitur fuit in caussa, cur Dei filius in corporibus curandis tam multa signa proderet? Vt videlicet per illam curationem corporum intelligeremus

illum animorum medicum esse, omnesq. morbos flagitiorum, & scelerum, si velimus illius iussis obtemperare, facillime depulsum. In hæc igitur signa maxime admiranda, quæ neque Ægyptiorum Magi, neq. Cabalistsæ, neq. Antichristus, nec vli falsi prophætæ vnquam poterunt assimilare, respiciant Iudei, & maiora, & ampliora postulare iure non poterunt. Vides ô Iudæe quanta hominum multitudo Christum sequatur? Quam multi sint, qui illi operam dent? Quam incenso studio disciplinam illius audiant? Quære, qui fuerint: quibus institutis vixerint: quæ vitæ conuersio facta sit: & tum demum clariora signa minime requires. Multos enim in eo comitatu reperies, qui fuerant flagitiis infames, qui nunc laude summa castitatis atque puritatis excellunt: multos omnia rapiendi cupiditate flagrantes, qui nunc opibus in caritatis, & humanitatis studio consumptis, ad opes cælestes atq. diuinas aspirant: multos odio furentes, qui nunc pro hostium salute vota faciunt: multos deniq. qui nihil amplum & excelsum cogitabant, & nunc humana cuncta despiciunt, & in cælum ardentis studio mentis efferuntur. Quid igitur dicendū? Cernis pro flagitio puritatem, pro auaritia beneficentiam, pro odio caritatem, pro desidia vigilantiam, pro imbecillitate fortitudinē, & dubitas, quin hæc tã admiranda commutatio Dei ipsius numine facta sit? Quæro enim, verissimæ virtutis ornãmēta diuina, an humana putas? Si humana dixeris, te crimine impietatis alligabis. Quid enim scelestius dici potest, quam cum omnia corporis bona à Deo postulãda censeamus, animi bona quæ sunt multo clariora nobis ipsis ascribere? Si diuina dixe-

ris, necessario consequens est, vt fatearis illum, cuius benignitate ea omnia cõferuntur, Dei filium esse. Si vides igitur omnes qui se se vere, & ex animo ad Christi studium contulerunt, esse virtutum omnium opibus affluētes, cur postulatum signi clarioris nõ omittis, cum signum clarius ostendi nõ possit? Sed aliud adhuc signum nõ minus admirabile videamus. Christum verberibus cæsum, & spinarum, & sentium corona redimitum in crucē sustulisti: manus & pedes illius. clavis perfossos aspexisti: membra summis viribus distenta. & cruciatibus intolerandis afflictã contemplatus es: cum sitiret, ei fel. & acetum porrigendum curasti: ad hæc indignissimas in illi cõtumelias intorsisti: supplicio illius oculos pauisti: & odium quod in illum conceperas exsaturasti. Quæro modo, num te aliqua verborum contumelia perstrinxit? Num aliquod maledictũ iecit? Mediocre ne specimen summæ atque plane diuinæ virtutis existimas, in suppliciis innocentie constitutis nullum verbum insolens, ab homine iusto contra fontes atque sceleratos emitti? Quod si sapientia & constantia continet in se inuictæ virtutis argumentum, id quod tu imbecillitati tribuis, est diuinæ virtuti tribuendum: quod ignominiosum existimas, est immortalis laude prædicandum. Nam cum virtus atque iustitia semper illustris & ampla sit, tum vel maxime splendor illius eminet, cum ex hostibus sempiternis, & doloribus summis victoriam insignem consequitur. Nulla vnquam iustitia clarior extitit: nulla sententia iniquius vnquam lata fuit: cruciatus nullus acerbior & immanior constitui vnquam potuit: quæ tamen omnia Christus tante

virtute superauit, vt etiam pro illis à quibus in crucem actus fuerat, supplices ad patrem preces adhiberet. Audis summæ clementiæ votum, cernis virtutis inuidiæ propugnaculum, quod nulla hostium iniuriæ labefactare, nulli cruciatus de statu conuellerè potuerunt, & tamen adeo cæcus es, vt diuinæ firmitatis argumentum, ad summæ imbecillitatis iudicium traducere coneris? Lapis quidem Christus est (vt inquit Isaias) probatus, angularis, preciosus, in fundamento locatus, cuius firmitate Dei domus innititur: & tu vbi lapidis firmissimi munimentum cernere potes, quasi tibi infirmitatis summæ species obiecta sit, lapidem tibi offensionis ad ruinam constituis. Quid hic referam solis obscuritatem, totiusque cælestis naturæ caliginem? Quid horrendos terræ fremitus, velumq. templi discissum? Quid terrorem manibus inferis iniectum, & sepulcra reserata, & mortuos excitatos? Quid postremo de illo maximo omnium signo dicam, quo se ipsum Christus ab inferis excitando mortis immanitatem profligauit? Illud vero Iudæorum commentum quam ridiculum? Veriti fuerant, eo quòd Christus se à mortuis triduo suscitandum prædixerat, ne discipuli illius è sepulcro corpus auferrent, eumque reuixisse dicerent, & ita posterior error esset priore turbulentior. Ne autem id accidere posset, summa ope præcauendum existimant. Itaque ad Pilatum adeunt: militum præsidium ad sepulcri custodiam impetrant: ob signatoque sepulcro discedunt. Dum Christus exurgeret, milites obstupefacti concidunt: Rem Iudæorum principibus annunciant: illi vero milites grandi pecunia corrup-

punt,

punt, atq. faciliè persuadent, vt dicant se dormientibus Christi discipulos è sepulcro corpus abstulisse. Si hoc inquit auditum fuerit, nos præsidem vobis placabimus. O male confectum mendacium. Si enim milites dormiebant, quomodo furtum illud à discipulis factum fuisse testificari poterant? Sed id o-mittam, & à Iudæis quæram, quomodo se tam faciles erga milites præbuerunt, quorum somno tantum incòmodum erat publice subeudum. Timuistis, ne Christi discipuli corpus illius furarentur: ne posterior error maiorem perniciem inferret, quam prior intulerat expauistis. Id quod valde metuebatis, militum negligentia quos custodes apposuistis euenit. Quanta animi facilitate id factum, quo omnis vestra caussa niti videbatur, tulistis? Nec in cælum manus intendistis: nec hominum fidem implorandam esse duxistis: neque milites capitibus arcessistis: neque illis paullo atrocius denunciatione periculi minati estis. Tantum vero abfuit, vt male milites acciperetis, vt eis Pilatum placaretis. Num si tota ea fallacia vobis auctoribus conflata minimè fuisset, odium quod vos inflamabat, & inuidia quæ vestros animos exagitabat pati potuisset, vt in tanto (vt dicebatis) incòmodo non vocibus & querimonijs omnia còpleretis? Tota fabula impudenter & impie cogitata per se sine vllò argumento vacillat, & claudicat, aut vt rectius dicam, eorum ipsorum testimonio qui fraudè commenti sunt, aperte conuincitur. Sed vt fraudem omittamus, consequens est, vt signa quæ Christi mortem consequuta sunt attète còsideremus. Nihil hic dicā de clarissima victoria, qua inferos manes exterruit, hostes sempiternos spoliavit peccati-

vim



vim & imperium deleuit, ornatusq. manubijs in cælum bel-  
lorum omnium victor ascendit. Illud etiã signum vehemen-  
ter admirandum præteribo, quod ostensum est, cū spiritus di-  
uinus è cælo cū ingenti tonitru, & cæli totius fragore demis-  
sus Christi discipulos in vnum locum celebri & clara die coa-  
ctos, linguis igneis inflāmauit: vt non modo eorum animi di-  
uinitatis amore flagrarent, verum & quam plurimos homi-  
nes ardentissimo genere orationis incenderent. Miracula si-  
leo: linguarum peritiam taceo: sapientiæ vim, qua discipuli  
Christi silentium aduersarijs imponebant omitto: ea quæ cla-  
rissima, notissima, testatissima Iudeis eo tempore, quo signa  
rectius peti potuissent, extiterunt, similiter prætermittenda  
puto. Nec enim mihi sermo tam cum illis est, qui olim obsti-  
natis, & in scelere nimis obfirmatis animis spiritui sancto  
pertinacissimè restiterūt: quā cum ijs qui hodie viuunt, parē-  
tumq. vestigijs insistant. Ea igitur signa, quæ illi negare so-  
lent omittam, vt ea quæ negare nō possūt oratione cōplectar.  
Duo igitur tantū signa ex quibus quantum Christi crucifixi  
numen sit, apertè declaratur, ostendā. Primū signum est or-  
bis terrarū conuersio: alterum Iudeorū qui in scelere persti-  
terunt euersio. Vt autē primū de mundi cōuersione orationē  
habeamus, animaduertendum est, in quo statu erant res hu-  
manæ, cum in eas cælestis disciplinæ lux sparsa fuit. Erant  
vniuersæ terræ sceleribus infinitis alligatæ, & tenebris te-  
terrimis oppletæ. Erat lumen virtutis extinctum, leges atq.  
iudicia conculcata: religio vel prorsus neglecta, vel pessimis  
rationibus instituta. Honores diuini non syderibus tan-

tum

rum, sed scelestissimis etiam hominibus, & brutis animanti-  
bus, atque adeo impurorum hominum, & serpentium, & bel-  
luarum simulacris habebantur. Quin etiam flagitijs, & pe-  
stibus funestissimis multi templa magnis sumptibus extrue-  
bant, & hostias frequenter immolabant. Apud multas natio-  
nes erat in more positum, vt homines in deorum honorem iu-  
gularent, in qua feritate & immanitate multi tantum pro-  
gressi sunt, vt non satis Deos sibi placari posse crederent, nisi  
naturæ sensum opprimerēt, & sanguinis caritatem repudia-  
rent, vsque adeo, vt filios occiderent, deorumque suorum aras,  
liberorum sanguine & cæde conspergerent. Præterea multi,  
vt venerem propitiā haberent, filias virgines prostituebāt.  
Itaque factum est, vt cum religio, quæ pietatis, pudoris, offi-  
cij magistra fuerat, immutaretur, & nefarijs sacris homines  
ad scelus, & flagitium, ad immanitatem atque libidinem in-  
cicaret, nullum tantum malum cogitari posset, quod non in  
hominum vita versaretur. Multi parentes mortuos comede-  
bant: multi canibus lacerandos obiciebant: nullum iam libi-  
dinis, turpitudinis, crudelitatis, impietatis genus multi mor-  
tales indignum hominis præstantia iudicabant. Tyrannus il-  
le, qui mortem in terras inuexerat, sic omnia violento domi-  
nato oppressa continebat, vt nemo posset vllis humanis opi-  
bus in libertatem vindicari. Accedebat antiquissima in su-  
perstitione & scelere consuetudo, quæ tantas vires habet, vt  
rebus turpissimis, atque scelestissimis, honestatis atque pieta-  
tis nomen imponat. Adde nunc principum furorem, impera-  
torum amentiam, qui maiestatem suam imminui & imperium  
contemnūt



contemni putabant, si secus aliquid fieret, quã fuisset Satana placitis atq. decretis institutum. Hic in tantis tenebris & caligine, in tanta bonorum omnium vastitate, in tanta salutis desperatione, pauci viri Iudeorum stirpe propagati hoc in se receperunt, vt vniuersum genus humanum è tenebris eriperent, & sempiternis bonis egregiè cumularent. Qua nobilitate freti? Quibus opibus & armis instructi? Quibus disciplinis eruditi? Quibus artibus ad fallendum parati? Si nobilitatem exquiris, erant obscurissimi: si opes, egentissimi: si eloquentiæ disciplinam, infantissimi: si vitæ lenocinia, seuerissimi. Erant impurae veneri, flagitio, turpitudini vehementer infensi: nefarijs hominum cupiditatibus bellum indixerant: omnia, quibus mortalium animos nimis addictos esse conspexerant, demolienda, euertenda, & affligenda susceperant. Quo facto necesse erat, odia in illos acerbissima concitari. At cuius auctoritate pugnabant? Hominis illius, què vt maleficum & iniustum in crucem sublatum fuisse constabat. Quæ præmia in vita proponebant? Labores, contentiones, multorum odia, vitæ duritiam, salutis discrimen, atq. tandem crucis, & ignominie societatem. Hoc igitur facinus tantum suscipere virtutis erat admirandæ: perficere autem incredibilis felicitatis. At vide, qui sint exitus consequuti. Gentes à Iudeorum institutis & moribus abhorrentes, & flagitijs innumerabilibus astrictæ, sic animis commutatae sunt, vt abiectis simulacris, contemptis & spretis vitæ lenocinijs, Christum morte proposita per omnes flammis ita sequerentur, vt nihil malle videretur, quam pro illius nomine,

vitam

vitam in tormentis abijcere. Itaque vides orbem terrarum à paucis hominibus & ijs ignotis, inermibus, egentibus, & infantibus expugnatum: cernis caelesti disciplina vltimas gentes illustratas: Deos commentitios de honore deiectos: Satanae propugnacula funditus eversa: & dubitas quin hæc omnia sint Dei numine, mente, & consilio perfecta? Quo minor est enim militum numerus, quo maior armorum penuria, quo immanior hostium ferocitas atque multitudo, eo clarius apparet victoriam nullo modo nisi presenti numine parari potuisse. Ob eam vero causam Deus Gedeoni imperauit, vt copias ad eam paucitatem redigeret, ne quisquam posset humanis viribus magnitudinem victoriæ illius ascribere. Itaque factum est, vt in hostium castra trecentis tantum hominibus stipatus inuaderet. Quilibet autem eorum altera manu tubam, altera laternam fictilem, in quam erat inclusa fax incensa gestabat. Fractis laternis splendor emicuit: tubarum concentu hostes exterriti in cædem mutuam conuersi sunt. Quis unquam fuit tam sine mente, qui non cerneret animo, hanc Gedeonis victoriam, nullo pacto esse viribus humanis, sed opibus diuinis ascribendam? Huic victoriæ vir diuinus Isaias Christi victoriam, quam suorum opera consequutus est, similem facit. Multiplicasti inquit gentem, & profudisti lætitiã. Lætabuntur coram te, sicut lætantur in messe: & sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.

Quod

Quod perinde est, atque si diceret, ut Madianitas innumera-  
 biles, qui impotente dominatu Hebræos oppresserant, non ar-  
 mis sed tubarum cantibus, & lucernarum micantium splen-  
 dore opera paucorum hominum perculisti, & strauisti: sic tã-  
 dem Satana tyrannidem, quæ pondus intolerabile subdito-  
 rum humeris imponebat, & dominatum durissimum, quo pec-  
 cati tributum cunctis hominibus imperabat, euangelico clas-  
 sico, nouæque virtutis lumine, quod fracta corporis libidine,  
 & compressa, & domita cupiditate in discipulorum moribus  
 splendebat, extinxisti atque deleuisti. Hæc quidem Isaias.  
 Tanto tamen hæc Apostolorum victoria fuit illustrior, quã-  
 to maius est, demonum vires excindere, quam Madianitas pro-  
 fligare: & quanto maior erat in animorum euerfione, quam  
 in corporum vexatione calamitas: & quanto fuit admirabi-  
 lius orbem terrarum imperio Christi subdere, quam gentem  
 vnã vno prælio superare. Alij orientis solis regiones Christi  
 nomine compleuerunt: alij ad occidentem solem profecti lucẽ  
 diuinam hominibus attulerunt: alij ad austrum conuersi vi-  
 ctoria clarissima monumenta statuerunt: neque solum commẽ-  
 titia numina peruerterunt: verum & libidinem, ambitionẽ,  
 odium, crudelitatem, auaritiã ex animis eorum, qui se ad Chri-  
 sti nomen adiunxerant, exterminarunt. Huius tanti mune-  
 ris admiratione commotus Isaias exclamans inquit. Celebra-  
 te nomen Domini in vallibus. Valles appellat locos, in quos  
 olim flagitiorum omnium colluies influxerat. De gentium  
 namque conuersione disserit. Ait continuo, In insulis nomen  
 domini laudibus in calum efferte. Ab vltimis terris carmen  
 audiuius,

audiuius, & gloriam iusto tributam. Iustum Christum no-  
 minat, nempe a quo omnis iustitiæ splendor exoritur. Admi-  
 ratur autem Isaias intra breuissimum tempus nomen domi-  
 ni ultimas terras ita peragrassẽ, ut vbique Christi gloria di-  
 uinis laudibus ornaretur. Isaias admiratur, & tu contemnis?  
 Is magnitudinem benignitatis diuinæ celebrat, & tu male-  
 dicta conijcis? Is gauio exultat, & tu sine vllò fructu, dolore  
 & inuidia contabescis? Sed animaduerte victoria magnitu-  
 dinem. Omnes Satana satellites atque ministri de sanctorum  
 hominum pernicie coniurabant: ignes, cruces, equulei, variaque  
 suppliciorum genera parabantur: corpora eorum carpebantur:  
 omni crudelitate lacerabantur: & tamen eorum virtus inui-  
 cta permanebat: & de hostium conatibus maxima cum glo-  
 ria triumphabat. Tantus autem ardor illos inflammabat,  
 ut vehementius pro Christi nomine supplicia, quam reliqui  
 mortales opes & facultates expeterent? Quid illud? quantum  
 fuit? Quo enim maiorem operam tyranni ponebant in Chri-  
 sti nomine delendo, eo magis Christianorum numerus auge-  
 batur. Quid igitur dicendum est? Cernis hanc disciplinam ho-  
 minum cupiditati contrariam, voluptatibus nefarijs infen-  
 sam, opibus iniquitate & ambitione partis inimicam, ab im-  
 probis, inuidis, flagitiosis vexari, & summis principum ma-  
 ximorum opibus oppugnari, eamque nihilominus statum &  
 dignitatem suam retinere, & dubitas quin vis illius cælestis  
 atque diuina sit? Vos a principio in illam furenter irruistis:  
 imperatores, tyranni, præfecti de illius interitu coniurarunt:  
 hæretici subsecuti sunt, qui machinis admotis eam sepe sunt  
 f labe-

labefactare conati: neque solum dolis & fraudibus, verum etiam armis & viribus in eam inuehuntur: illa tamen inuicta permanet, & in loco firmo & egregie munito consistit. Nec enim est humanis opibus, sed Christi Regis sempiterni praesidio vallata. Conveniant igitur hostes: bellum comparēt: copias instruant: insidias intendant: collatis signis, & aperto Marte confligant: illa namque semper de hostium immanitate triumphabit. Poterit quidem fieri, ut Christiana respublica aliquando laetius preferatur, aliquando vero arctius angustetur: ut autem opprimatur, fieri nunquam poterit. Itaque semper vigebit in illa pietas, religio, sanctimonia, mansuetudo, modestia, caritas, rerum caelestium cupiditas, humanarum despicientia, inflammatumque diuinitatis studium. Haec igitur in bellis victoria, in tempestate tranquillitas, & in omni rerum varietate constantia, & hoc, quod magis admirandum est, in calamitosi temporibus incrementum, parum ne declarant, quantum insit in Christi cruce roboris atque firmamenti? Potuisset ne fieri, cum natura dolorem fugiamus, & voluptates & commoda vitae consectemur, ut Christi disciplinam cruce proposita sequeremur, nisi nos spiritus Christi diuino robore confirmaret? Quid deinde illud? quantum est? Illius enim numen crebro nobis in precibus & votis occurrere, & adesse sentimus. Si libido nos inflamat, illius ope libidinem profligamus: si dolor lacerat, diuini spiritus incunditate facillime sensum a cogitatione doloris abducimus: si superbia latenter irrepit, arrogantiam & fastum Christi mansuetudine & humilitate comprimimus: si odio, inuidia, iniquitate laboramus,

cruce

cruce Christi in oculis constituta facile pestes istas animorum a nobis longe repellimus: si hostis in nos incurrit, illius impetum a nobis crucis huius vi & robore propulsamus. Crux est nobis in aerumna perfugium, in mœrore solatium, in ruinae periculo firmamentum, in bello praesidium inuictum. Sed haec quae minus a Iudeis animaduerti possunt, sileamus, & id quod eorum animos non misericriter excruciat, explicemus. Nos enim qui ab hominibus a lege diuina prorsus alienis originem ducamus, quorum maiores simulacra colebant, monstris immolabant, sanctis literis a sanctissimis olim Iudeis, impulsu, & inflatu sancti spiritus inscriptis operam damus: illisque ad cognitionem caelestis numinis erudimur: cum interim illi, qui sunt, ab illis sanctis patribus orti eas vel non attingant, vel non intelligant, nullumque omnino ex illis fructum accipiant. Itaque nos alieni, nos hospites, & peregrini, Abrahamam patrem agnoscimus, illosque viros sanctissimos, qui haec nobis pepererunt, Gentes arbitramur. Eorum namque fidem sequimur: cum interim illi, qui genus ad diuinos illos homines referunt, iam pridem ab illa stirpe praecisi, & ab antiqua nobilitate deiectione, solo Iudeorum nomine gloriarentur. Si igitur nos olim a luce, a veritate, ab omnibus veris bonis auersi, nunc lucem aspiciamus, si vita fruimur, si prophetarum monitis incēdimur, si in societate caelestis hereditatis convocati sumus, si caelum intuemur, & rerum diuinarum cupiditate flagramus, & haec omnia constant Christi cruci affixi numine, benignitate, potentia effecta fuisse, quod signum esse potest, ad Iudeorum perfidiam conuincendam admirabilis: Sed illud alterum signum,

f 2 quod

quod est in Iudeorum euerfione constitutum, videamus. Ex eo tempore quo Iudæi se tam infando scelere astrinxerunt, ut diuinum munus aspernarētur, auctoriq; vitæ crudelissimā necem inferrent, diuina vindicta in eos exarsit: vsque adeo, ut nulla vnquam gens tam diris cladibus afflicta fuerit. Odio erant omnibus: expulsi vndique & eiecti vagabantur: leuissimis de causis ferro contrucidabantur: multa hominum milia passim concidebant: in Syria, Ægypto, & Cirene, & multis alijs regionibus erant rapinæ, atque cædi, & contumeliis expositi: donec tandem ad vrbis excisionem peruentum est. Atque primum seditio turbulenta miseris modis ciuitatem afflixit: illamque cæde & sanguine deformauit: & templum, & aras, & loca templi maiore quadam religione consecrata sceleribus infandis violauit. Obsidio tandem maximā ciuium partem, non ferro tantum, id enim iam in minimis malis habebatur, sed extrema rerum inopia atque dira fame consumpsit. Patres repudiato naturæ sensu cibum è filiorum faucibus extorquebāt: filij vicissim parentum guttura premebāt, ut siquid sibi sumpserant, rursus eijcerent, ut ipsi cibo parentibus impie detractō, vitam miserrime ad aliquod tēpus producerent: ut grauiores malorum acerbitates impurissimis oculis usurparent. Matres filios infantes discerpebant, ut illorum carnibus famem depellerent. Sic autem erant omnium mentes alienatæ, & stupore calamitatis oppressæ, ut nullus humanitatis sensus, nulla parentum verecundia, nulla filiorum caritas in animis resideret. Extructi cadauerum innumerabiliū acerui vias, & forum, & alia publica loca constrauerāt.

Iam

Iam enim mortuorum multitudine superante, & viribus eorum qui manebāt in vita deficientibus, vix reperiebatur, qui mortuos humo contegeret. Teterrimus odor vrbem lue dirissima cōtaminabat. Hostium crudelitas eos foris exterrebat. Sed tantus erat intra muros pavor atq; trepidatio, ut nihil optabilius multis videretur, quā in hostium manus incidere. Id tamen illis per tyrannos, qui vrbis præerant, minime licebat. Iam malorum consuetudo sic omnium sensus obstupescerat, ut vix plangor, & eiulatus, aut clamor deniq; doloris index audiretur. Vrbs tandē illa tam celebris, tantis opibus abundans, tanta hominum multitudine referta, tantis præsidijs munita, ab hostibus capta, direpta & incensa fuit: templumq; illud sanctissimum mira mortaliū religione consecratum horrifico atq; valde miserabili incendio conflagrauit: omniaq; priscae religionis monimēta flāmis vlttricibus absumpta sunt. Hæc funestissimā cladem multis antefeculis miseris modis Isaias lamentatus est. Sic enim ciuitatem alloquitur. Viri tui cōcisi gladio cadent: & fortes tui in prælio: copiæ tuæ steruentur. Mærebunt & lugebunt portæ eius, & desolata in terra sedebit. Alibi vero inquit. Heu me. Rebelles à Deo descuerunt. Pavor, & fouea, & laqueus tibi parabitur ò miser, qui terrā scelere contaminatā incolis. Qui hostium voce territus aufugerit, in foueā cadet. Qui è fouea ascēderit, irretitus laqueo capietur. Deinde iudicij illius seueritatē oratione describit, & diuinæ iustitiæ laudes debita prædicatione celebrat. Sic enim ait. Domine quem Deum meum perpetuo cōfitebor, & laudibus summis afficiam. Admiranda consilia

f 3 multis

multis ante seculis iniuisti, quæ rata tandem esse opportuno tempore uoluisti. Tu namque ciuitatē in aceruum redegeisti: ædes magnificas eorum, qui se se à cultu sanctissimæ religionis abalienarant, euertisti: ita ut nullum uestigium ciuitatis antiquæ remaneret. Nunquam instaurabitur, & renouabitur: aut in pristinā reip. formam erigetur. Persequitur deinde iudicij illius fructum, & gentium pietatem miris laudibus extollit: & gloriā eorum, qui erant ad epulas cælestes inuitandi, luculenter explanat: ex quibus intelligitur, quam infelices & ærumnosi fuerint hi, qui diuinas opes aspernati inopia sempiterna conflictari uoluerunt. Neq. tamen post urbis excidium ira diuina cessauit: sed eos grauissimis plagis infecta est: ita ut nullo in loco confisterent. Cum uero rursus à falsis Prophetis in fraudem impulsī (se enim Christos appellabant, & tempus Prophetarum oraculis præfinitum aduenisse demonstrabant, quo erant Iudæi libertatem recuperaturi) à Romano imperio deficerent, rursus ab Adriano imperatore funditus euersi sunt. Nunc igitur exules, & extorres, omnibus mortalibus odiosi, & iniuri, omniumque contumelijs & rapinis obnoxij, aliquando ferro cæsi, aliquando autē bonis spoliati expelluntur: eijciuntur: maledictis omnium configuntur: nec ullum habent in tantis calamitatibus alleuamentum. Illos horrentes, & trementes aspiciamus: ad quemuis auræ motum exanimati trepidant: truncorum etiam umbras extimescunt: ubicumque uestigia ponunt, mirum in se odium multitudinis accendunt. Regis imperio carent, sacerdotij præsidio nudati sunt: ornamentum reipub. prorsus

ami-

amiserunt: nullas proprias sedes habent: eos cuncti mortales à se ut malum auspicium detestantur. Tanta uero sunt ignominia notati, ut timidus, & ignauis, & omnem periculi rumusculum metuentibus, Iudæorum nomen imponatur. Itaq. Iudæi nomen, quod olim dum in illa gente fidei atq. religionis studium uigebat, fuit ualde clarum & nobile, nunc probris & contumeliæ seruit: & in promptu est omnibus, quoties hominem insigni dedecore & ignominia afficere uolunt. Omnes enim mortales, siue illi Christiani sint, siue nefarijs Mahumetis disciplinis imbuti, siue simulacris addicti, in Iudæi nomine summum dedecus inesse constituunt. Præterea inueterauit apud multos opinio, eum qui Iudæum iniurijs affecerit, spoliauerit, occiderit, in nullis iniquitatibus hæere, imo præclare officio suo fungi. Tantum est in gentem miseram multitudinis odium, ut iniurijs in eam illatis multi temerè gloriantur. In omnibus his, ut inquit Isaias, non est auersus furor Domini: sed adhuc manus illius est extensa. Non enim conuersi sunt ad illum cuius iudicio peruertuntur. Supra mille & quingentos annos miseram seruitutem seruiunt: omnium gentium dominatum acerbissimum patiuntur: earumque iniurijs & conuitijs expositi sunt: cum nullum interim à Deo præsidium in tanta malorum omnium diritate consequantur. Quam rem gerunt? Quod scelus conflant? quæ maleficia suscipiunt, propter quæ à Deo quem tam propitium olim habebant, omnino deserantur? Simulacris immolant? Ino eorum contactum perhorrescunt. Commentitios Deos adsciscunt?

f 4

At

At eo nomine quòd vnum Deum colant, efferuntur. Est id verum. Sed moribus immanibus efferati sunt? At ipsi sibi summam laudem equitatis & pietatis assumunt. Quid ergo est? Parum ne supplices ad Deum preces adhibent? Imo in precibus celsi iui sunt, neq. tamen exaudiuntur. Si igitur neq. simulacra colunt, neq. aduenas Deos inuocant, neq. humanum sanguinem fundunt, neq. se in imia fraudis impuritate contaminat, cur illos Deus quos in fidem suam recepit, tam diuturno tempore ope sua destituit? Cur gentem illius numini consecratam tam diuturnis plagis insequitur? Cur antiquæ clementiæ & benignitatis obliuiscitur? Cur denique fidei suæ memoriam deponit? promiserat enim fore, vt si propter flagitia exularent, vbi primum toto animo ad se conuersi pacem exposcerent, in patrias sedes remigrarent. Itaque cum olim propter simulacrorum cultum Moabitis, Ammonitis, Madianitis, Palestinis, & reliquis finitimis nationibus in seruitutem traderentur, vbi primum eos sceleris admissi poenitebat, & opem lesi numinis implorabant, hostibus deuictis in patriam liberi redibant. Assyrii deinde, atq. Babylonij diutius eos duriore domatu oppressos tenuerunt. At neq. in eo exilio fuere diuino presidio orbat. Prophetæ namq. eos erudiebant: & exilium tandem illud vltimum atq. grauissimum septuaginta annorum spatium definitum fuit. At nunc nec Astartem colunt: neq. Bello supplicant, neq. Beelzebubo sacra conficiunt: neque in hortis rem diuinam faciunt: neq. filios in honorem Deorum iugulant: & tamen Deus multo acrius eos exagitat, quam si se omnibus his sceleribus alligauissent.

gauissent. Si dixerint iustos interdum laboribus exerceri, factebor. Verum ita Deus eos exercet, vt laborem breui spatio circumscribat, & laboribus sempiternum præmium atq. gloriam proponat. Præterea non vniuersitati exitium infert, imo propter paucos iustos multitudini frequenter ignoscit. Neq. solum in futura vita iustos muneribus diuinis afficit, sed etiam in hac eos ornamentis celestibus illustrat, clarissimæq. documenta dat, quantum sibi cordi sint omnes, qui pro iustitiæ sanctitate dinicant. At vos Deus post Christi cædem, neque presidij vllis instruxit: neq. per aliquem prophetam ad spem salutis excitauit: nec exilium definiuit: nec paucis tantum, sed vniuersitati Iudeorū se grauiter infensum esse declarauit. At ex quo tempore vos numen diuinum diris poenis insequitur? Nam id etiam operæ pretium erit attendere. Ex eo quo si vera dicitis par erat, vt vobis summa etiam crimina condonaret. Tantum enim facinus suscepistis, quantum nulla vnquam gens pro Dei honore suscepit. Lege Deus ipse sinxit, vt si propheta quispiam existeret, qui prædictiones suas euentis verissimis comprobaret: is tamen homines ammoneret, vt honores diuinos dijs alienis instituerent: morte continuo sceleris tam diri poenas exolueret. Vos autem non prophetam, qui religionem labefactaret, sed hominem (vt asseritis) qui sibi diuinitatem tribueret, honoresque diuinos ad se transferret, interemistis. Quid fieri potuit ad expiandam religionem sanctius, ad hominum temeritatem coecendam seuerius, ad exemplum prodendum salutaris? Quid enim magnum fecit Phinees, cum hominem proteruum qui inspe-

Etante Mose Madianitidem complexus est, cum consorte libidinis hasta trāsfixit? Non est vlllo modo factum cū facto comparandum. Illum namque nequam hominem libido instigauit, vt cum muliere illa congredederetur: at Iesus (vt affirmatis) iudicio ductus in gloriā diuini numinis inuasit. Ille Mosem & multitudinē despexit: Iesus rerum omnium dominum contēpsit. Ille Mosi imperium detrectauit: Iesus autē imperium summi atq. sempiterni Regis pro nihilo duxit. Facinus igitur multo præclarior illo quo ledidit Phinees religionis studio suscepistis: ipsumq. Deum vobis obstrinxistis, cum tā grauem iniuriā nomini illius illatam tam acerbo supplicio vindicastis. Si igitur Phinees illo facinore non sibi tantum nomē, & gloriam, & sacerdotij firmissime constituti dignitatē, sed vniuersæ multitudini salutem peperit, vt enim ipse Deus testificatus est, Phinees ea cæde irā Dei leniuit, & pestem quæ multitudinē conficiebat, auertit, quid vobis expectandum est, qui tāto pulchrius facinus designastis? Nunquid non æquum erat, vt quauis antea fuissetis omnibus summis flagitijs & impuritatibus inquinati, vos sibi Deus propter tam egregium factum reconciliaret, & summis præterea ornamentis afficeret? At ille non modo Christi nece placatus non fuit, verum in eos qui eam machinati sunt, dirissimas clades inuexit: & vniuersam eorum posteritatem seruitute premi, maledictis conscindi, laboribus frangi, doloribus intercludi, formidine perterreri, ignominia notari diutissime patitur. Quid igitur dicendum est? Deum clementiæ & æquitatis oblitum esse? Non prorsus. At clementiæ munus est supplicibus

cibus veniam largiri, æquitatis autem excellentibus meritis præmia constituere. At ille vobis nec vt supplicibus ignoscit: nec vt bene meritis vllam mercedem tribuit. Quid ergo dicendum? Opus enim est, vt vel illi Domino sanctissimo atque iustissimo, qui vos nullo vestro scelere lacepsit, imo meritis vestris obligatus è tantis malis non eripit, iniquitatis & iniustitiæ crimen affingatis: vel vos ipsos eo scelere constrictos esse fateamini, quo nullum tetrius, immanius, & detestabilius fieri vnquam potuit. At iniquitas in Deum non cadit. Propter vestrum igitur scelus ista patimini. Non est, inquit ille, contracta manus Domini, vt salutem dare nequeat: sed iniquitates vestræ pacem quæ erat inter vos & Deum vestrum diremerunt. Hæc quidem Deus qui mentiri non potest, effatur. Quæro igitur, quæ tāta iniquitas ista sit? Quod tam scelestum & immane facinus extitit? Non mediocria, communia, peruulgata vitia requiro, sed tantū scelus atq. flagitium, vt antiqua scelera in quæ multo leuius olim vindicatum fuit, vincat, & superet. Nec enim est æquitatis diuine maximū scelus leuibus pœnis, mediocre grauissimis vt cisci. Si nullū igitur exilium gentis huius magis diuturnum fuit: si nullæ clades maiores: nullæ calamitates vehementiores extiterunt: si nunquam seuerius clementissimus ille Dominus eorum postulata reiecit: nec eos vnquam diutius & grauius afflixit: si iudicium illius est semper rectissimum: si pro magnitudine criminum pœnas sortibus imponit: fateantur necesse est, vt tantum scelus commiserint, vt multis partibus ea scelera vincat, propter quæ fuerunt olim varijs



calamitatibus affecti. Vt autem id melius possit animaduerti, non erit alienum ea scelera atque flagitia commemorare, quæ olim susceperunt. Nec enim solum à sanctissima religione defecerunt, & Deos alienos ascinerunt, & dira & infanda superstitione conflictati sunt: verum crudelitate, maledicentia, periurio, furtis, latrocinijs, sacrilegijs, iram in se numinis incitarunt. Quam acriter eos propheta sanctissimi & quam asperis verbis accusant? Quam sæpe illis seuerum Dei iudicium denunciant? Eorum effrenatas libidines exponunt: tyrannidem atque scelus obijciunt: potentium auaritiam, iudicum iniquitatem, principum flagitia, multitudinis furorē, & amentiam insectantur. Nullam esse fidem, nullam officij religionem, nullam sanguinis caritatem: omnes mentiri, furari, latrocinari, fraudibus fortunas augere, fratres fratribus insidias machinari, quemlibet ad uxores aliorum instar equi furemter adhinnire. Adde nunc innocentium cædem & sanguinem, parentumq. furorem obtentu religionis in filiorū nece bacchantium. Nec infanda in mares libido erat illis inaudita. Maximam namque laudem monimenta sacra Regi sanctissimo tribuunt, quod catamitos sustulerit. De conuicijs autem & maledictis, quæ in Deum conijciebant, infinita testimonia proferri possent. Nullum igitur genus auaritiæ, libidinis, impuritatis, immanitatis, parricidij, sceleris, & impietatis animo fingi potest, quo se Iudæi non olim contaminarint: & idcirco pœnas luerunt, & in exilium non ita magno annorum numero definitum compulsi sunt.

Ergo cum hæc plaga fuerit longe grauior & calamitosior,

cum

cum exilium ab anno supra milesimum & quingentesimum nullum ad hunc vsque diem finem habuerit, cum nulla interim illis spes melioris conditionis offeratur, cum sæpe variis ærumnis & calamitatibus opprimantur, necesse est, vt fateantur se id scelus commisisse, quod multum criminis grauitate infandis flagitijs, latrocinijs, parricidijs, sacrilegijs, & sceleribus infu itis, contra Dei religionem impie commissis antecedit. Quod nã igitur illud crimē fuit? In isto, vrgeo, insector: & quod tantum, tam scelestum & immane facinus extiterit, vt dicant, & in medium proferant, efflagito. Si nullum fuisse dixerint, sanctissimum iudicem iniquitatis insimulabunt. Si mediocre scelus protulerint, dicam illum iustissimum dominum nunquam pœnas grauissimas mediocribus erratis constituisse. Vertant se in omnia: antiquitatis memoriam replacent: rem ponderibus iustis examinēt: & nullum facinus editum reperiēt, quod sit cum eo quod in Christi nece & cruciatu susceperunt, vlla ex parte comparandum. In illo namque fuit ingratisimi animi crimen & scelus: beneficium enim illud quo nullum maius & amplius à Deo hominibus dari potuit, aspernati sunt, atque respuerunt: fuit similiter rebellionis, atque perfidiæ: summi namque Regis imperium legitimum atque sempiternum contumaciter, arroganter, & impie cõtempserunt: fuit immanissimi sacrilegij: templum enim illud sanctissimum non operis hominum factum, sed Dei ipsius manibus in vtero sanctissimæ virginis informatum, vt in eo non adumbrate, sed vere semper habitaret, violandum, evertendum, & affligendum susceperunt: fuit parricidij: naturæ

namque



namque parenti, cuius numine & beneficio viuimus, & sumus crudelissimam necem intulerunt. Omnia crimina odij, inuidiæ, crudelitatis, immanitatis, & impietatis, nō dico quæ in homines concipi, sed quæ in Deum ipsum ab hominibus audacissimis & profligatissimis committi possunt, vnum in locum collata, minimè partem aliquam tam infandi sceleris cōsequentur. Si muta elementa loqui possent, scelestissimi facinoris crimen illis intenderent: quod interitum rerum omnium moderatori per quem elementa consistant, attulerint. Cælum contra illos testimonium diceret, quorum scelere factum est, vt in tenebris & caligine versaretur. Terra illos immani scelere damnaret, quæ motibus horrendis, quantum facinus ab impijs hominibus in Christi nece commissum fuisset, indicauit. Mare gentem rebellem & immanem fluctibus obriueret, quod viderit illius Domini maiestatem contemni, cuius imperio id in omni turbida tempestate semper obediuit. Omnis deniq. natura ad exitiū gentis impurissimæ conspiraret, quæ contra naturæ cōditiōē bellum pestiferum cōparauit. At qua tandem se ignorationis excusatione defendent, qui tam claris signis fuerunt de maiestate & imperio nostri liberatoris admoniti? Prophetæ natale solum illius præmonstrarunt: tēpus quo erat nasciturus exactè definiuerunt: signa mirabilia quæ daturus erat, prænuiciauerunt: humilitatem, mansuetudinē, obedientiam, mortem illius, & gloriam, & eorum qui illum sequerentur salutem, & qui ab imperio illius deficerent euerisionem, explicauerunt: omnia quæ prædicta fuerant, ad numerum aptissimè ceciderunt: & tamen Iudæi, qui tam claris

signis

signis emolliri, & ab inuidia, & odio sanctitatis ipsius abduci minimè potuerunt, signa petere non desistunt. Mediocre ne signum (vt alia sileamus) arbitrantur esse in exilio, seruitute, pauore, consternatione, & gentium odio constitutum? Si igitur adhuc signa petunt, illo signo cōtenti sunt, quod in malis suis experiuntur. Nondum tamen malum grauissimum quo vexantur attigimus. Quod tandem illud est? inquires. Furor immanis, quo leges & prophetarum studio relicto, alia sibi literarum subsidia comparauerunt. Scrutamini inquit ipse Dominus, scripturas. Ipsæ namq. testimonium perhibent de me. Hoc autem quod Christus admonet, ne à Iudæis fieri cōmode posset, fuit Satanae astutia & calliditate excogitatum: vt sanctarum literarum studio neglecto, omne vitæ studium in pestifera disciplina cōsumerent. Poëtæ quidē Græci, atque Latini multa fingunt, apte tamē atq. venuste: nō vt fallant, sed vt oblectēt: è quorū tamen fabulis multa in mores & vitam non incōmode transferuntur. At Iudæi ea cōfingunt, & cōminiscuntur, quæ nullā oblectationē habent. Sūt enim vehementer absurda & inepta, nulla verborum elegantia, nulla concinnitate orationis illustrata. Quæ quidem, nō vt animos oblectarent, sed vt errore turbulento complerent, in scriptis reliquerunt. Nam & cælum imperfectum à Deo relictum asserunt: & lunæ splendorem propter ipsius lune inuidiam imminutum: & primum parentem antequam Eua formaretur, cum omnibus animantibus corpus incestu commiscuisse: & omnes arbores cum is Dei legem transgressus est, frondes, & fructus, ne is quidquam ex illis commodè caperet,

caperet, in sublime sustulisse: solamque ficum quod fuisset sceleris particeps (illius enim fructum esse perhibent, quem primi parentes contra Dei iussum gustauerunt) illis folia quibus pudendas corporis partes obtegerent, præbuisse. Quid illud? in quo asseuerant, ne leuiatham quem dicunt esse marinum serpentem magnitudinis propemodum infinitæ genus multiplicaret, quo deinde animantia cuncta in aquis absumerentur, Deum fœminam illius interemisse? Ne rursus temere formata fuisse videretur, quæ erat statim interimenda, eâ sale conditam asseruari dicunt, vt ea iusti in paradiso vescerentur. Sitis enim videlicet iustis, vt eo salsamento incundius biberent, à Deo quæ sita videtur. Tum illud de immani proceritate Og Regis Basan, quem multo antequam terræ eluisione vastarentur extitisse, minimeque deletum fuisse confirmant, eo quod capite supra omnes fluctus emineret, quam ridiculum? Infinitum esset, si vellem omnia portenta atque prodigia, quæ literis contra sanctarum literarum testimonia homines non modo impudentes & scelerati, sed etiam inepti & insulsi mandarunt, oratione percensere. Quid hic verborum turpitudinem, quid sordes, & lutulenta scripta commemorem? Quid aniles fabulas, & diras superstitiones, atque mendacia infinita referam? Hoc tantum dicam, cum Mahumetes in Alchorano multa non modo impudenter & impie, verum imprudenter & nimis insulse confixerit, tantum multis in locis Iudeos magnitudine & impudentia fabularum Mahumetem superasse, vt Mahumetes ad illos collatus aliquid esse videatur. Et tamen illa rabinorum portenta leguntur, edis-

discuntur, & bis nefarijs disciplinis adolescentes, vt ab Isaia prædictum fuerat, irretiuntur, & tanquam diuina testimonia teneris annis imprimuntur. His studijs illecti studia legis diuine contemnunt, & prophetas leuiter attingunt: summamque sapientiæ rationem in amentie, & temeritatis, & impietatis officina collocatam habent. Iam vero in eo quod ad mores & instituta vitæ pertinet, quantis erroribus atque flagitijs puritatem legis inficiunt? Sic enim legem interpretantur, vt necesse sit, eum qui à maiore iudicium parte damnatus fuerit, pœnas dare: eum vero qui sententijs omnibus condemnatus extiterit, absolui. Eum qui falso testimonio ciuem perdere voluerit, capitali supplicio affici: qui vero perdidit, crimine liberari. Quasi vero voluntas nocendi sine effectu supplicio digna sit: cum effectu vero eundem egregiam consequatur. Licet item illis per rabinorum statuta Christianos pecunia fraudare, vita spoliare, gentes vniuersas circumuenire, dolos, insidias comminisci, & pestem dies atque noctes innocentibus imprecari. Multas dant vias, mendacij, furti, libidinis, impuritatis: & tamen iustitiæ magistri, qui hanc disciplinam tradunt, existimantur: eorumque decreta, & responsa pro sanctissimis legibus habentur. Huiusmodi corruptelis & legis interpretationibus fallacissimis cumulata est illa doctrina, quam Iudæi Talmud appellant, quæ se legis scriptum diligentissimè persequi profitetur. Quid de illa altera quam cabalam nominant dicendum est? quâ magna sibi proponit: in quantis nugis versatur? quanta promissa continet? quam male datam fidem liberat? diuina quidem pollentur:

& ne humana quidē miseris hominibus relinquit. Hoc enim  
 suscipit, ut intimos legis sensus explanet: neq. tam quid scri-  
 ptum sit, quam quod mysterium intus lateat, scrutetur: men-  
 te & sententia, non literis vitam moderandā existimat. Cla-  
 ram numinis sempiterni notitiam studiosis pollicetur: & no-  
 minis diuini explicationem se tradituram promittit, quā qui  
 fuerit affectus, fore nō dubitant, quin omnes res admirādas  
 quas voluerit, efficiat. Quid hoc promisso grandius & ma-  
 gnificentius? quid exitu magis leue & nugatorium? In expli-  
 catione nominis diuini a tatem conterunt: quam minimē con-  
 sequuntur. Nec enim via naturæ diuinæ cognoscendæ, notis  
 & caracteribus, & interpunctionibus inanissimis, sed vitæ  
 puritate & sanctimonia diuiniq. spiritus illustratione con-  
 tinetur. At illi literis varie cōmutatis, & numeris vltro ci-  
 troq. conuersis, varijsq. flexibus, atq. reflexibus, & latebris  
 exitum nullum habētibus impediti, non modo sensus diuinos  
 non adipiscuntur, sed humanis omnino spoliātur. Quid enim  
 amentius illis qui existimant fieri posse, ut diuinum numen  
 certis notis astringatur: atq. vbi primum aliquis nomen illud  
 quod exquirunt expresserit, vis diuina præsto futura sit?  
 Quid scelestius quam ineptissimam & impurissimam Ma-  
 giæ rationem ad diuini nominis maiestatem transferre cona-  
 ri? Quid inanius quam tot seculis sine vllō fructu, artem it-  
 lam colere, ex qua non aliam vtilitatem percipiunt, quam  
 stupiditatem in dies amplificatam, humanæque mentis euer-  
 sionem? At quas erroris confirmandi cassa fabulas admis-  
 cent? Quæ portenta atque prodigia loquuntur? Quæ teme-

ritate

ritate & audacia numen sibi ad nutum præsto futurum pol-  
 licentur? Nihil in eorum argutijs acutum, nihil in ostenta-  
 tione magnificum, nihil in explicatione splendidum, nihil in  
 fructu solidum, nihil denique non modo maiestate diuina, sed  
 ne Philosophia quidem humana dignum in eorum scriptis,  
 sed omnia leuia, futilia, veritatis inania, & temeritatis in-  
 consideratissimæ plena reperies. Oua, ut inquit Isaias, as-  
 pidum ruperunt: telas araneæ texuerunt: itaque non salu-  
 tem, sed perniciem, non integumentum, sed nuditatem stu-  
 diosis attulerunt. Quo modo enim alijs salutares esse pos-  
 sunt, qui sibi ipsis opitulari nequeunt? aut quem fructum  
 vnquam ex illa disciplina inanissima præter furorem &  
 amentiam consecuti sunt? Itaque sensibus orbati, rationis  
 lumine destituti, cecitate mentis oppressi somniant, alluci-  
 nantur, ingenio tum huc, tum illuc temere vagatur, nec vlla  
 in certa sede consistunt. Harum alterutra disciplinarum  
 Iudei qui sapientiæ studia sibi colenda statuerunt, mirificè  
 deliniti literas sanctas oscitanter legunt: nec eas nisi ex Tal-  
 mudistarum, aut Cabalistarum iudicio interpretandas arbi-  
 tratur. Quo supplicio quid calamitosius fingi potest? Si enim  
 mentis cæcitas, si stupor & immanitas, si furor & insania, si  
 errores turbulēti magis sunt in pœnis diuinis numerādi, quā  
 egestas, exilium, corporis dolor & cruciatus, & reliqua mala,  
 quæ homines vulgō nimis extimescunt, quid illis miserius est,  
 qui diuinæ mentis lumine destituti tanto studio tenebras am-  
 plexati sunt, ut eorū furor in dies singulos augeatur? Percu-  
 tiet, inquit Moses, te dñs amētia, & cæcitate, & stupore mētis

g 2

vt

vt palpes in meridie, sicut palpare solet cecus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Hoc certè quod Moses inquit, in ludæorū cæcitate perspiciamus. Clarissimis enim in rebus nihil omnino dispiciunt. Eas igitur pœnas impietatis atque perfidie luunt quibus nullæ in hac vita grauiorcs excogitari possunt. Obstupescat, inquit Dominus apud Isaiam, cor populi huius & aures eius obtusas redde, & oculos eius obline, ne oculis videat, auribus audiat, & corde intelligat, & conuertatur, & sciam eum. Scripturæ sanctæ consuetudine imperat dominus prophætæ, non quidem vt ludæos in cæcitatcm conuertat: sed vt illis futurâ cæcitatcm denunciât. Hoc enim prophætæ facere interdum dicuntur, quod euenturum prædicunt. Itaque Deus prophætæ imperat, vt supplicium illud omnium grauisimum, quod ludæis erat propter contumaciam præter alia omnia subeundum, denunciet. Rectissimo namq. Dei iudicio factum est, vt Paulus ad Thessalonicenses scribens ait, vt qui beneficium veritatis aspèrnatî sunt, errori traderentur: vt mendacio crederent. Itaq. iam hac cæcitate & dementia ludæi Anticristo præclare viam muniunt Sic autem apud Zachariam scriptum est. Conuersus, inquit ipse Zacharias, oculos extuli, visumq. vidi. Tum Angelus. Quid vides? volumen, inquit, volans ego video, cuius longitudo cubitos habet viginti, latitudo autem cubitos decem. Et dixit ad me. Hæc est execratio, quæ exit super faciem vniuersæ terræ. Omnis enim qui furatur, eo volumine secundum id quod in eo scriptum est, absoluitur: & quisquis peierat, eo volumine secundum id quod in eo scriptum est, absoluitur. Quid

hoc.

hoc Zachariæ viso, & ostento mirabilius? Volumen enim istud est fallax diuinæ legis interpretatio. Nec enim volumen quadratum est, quæ forma propter æqualitatem iustitiæ speciem refert: sed altera parte longius, quæ figura iniquitatem designat. Denarius autem numerus legi diuinæ consecratus est. Numerus autem viginti continet nefarium legis additamentum diris obnoxium, quod legem falsis interpretationibus, & iniquissimis institutis ad illam adiectis inquinat, illiusq. puritatem & sanctitatem fœde contaminat. Si autem in diuina lege execratione deuincitur omnis, qui ad legem aliquid addit: quo modo non multo magis erunt detestabiles & execrandi, qui multis additamentis eam profus immutarunt, atque ab instituto sanctissimo detorserrunt? Volumen igitur hoc, quod in terras vniuersas in quibus ludæi damnati exilio vagantur incredibili celeritate peruasit, Talmudisticam, aut illi similem disciplinam apertè significat. In illam enim valde conuenit id quod sequitur, nempe ab ea excogitatum fuisse, vt omnis fur omni crimine liberetur: & periurus eiusdem disciplinæ decretis iniquissimis absoluator. Vt enim pauca de fallaci legis explicatione qua secundum Talmudistarum placita iudices contra iusiurandum iniquam sententiam ferre possunt, & nocentes absoluere diximus: ita sunt alia permulta flagitia, quæ eiusdem institutis sanciantur. Sequitur autem in eodem loco Et eieci illam, inquit Dominus exercituum, vt veniat in domum furis. Per furem satanam intellige, qui non venit nisi vt furetur, & macet, & perdat. Addit deinde.

Et in domo eius, qui falso iurat, & conficiet eam, & ligna eius, & lapides eius. Quis autem erit, qui periurij scelere inter omnes excellat, nisi Antichristus, qui erit huius discipline decretis ab incunabulis institutus? Is enim falso iurabit, cum se inferet, & intrudet, liberatorisque nomen impudenter usurpabit, fictaque specie sanctitatis atque diuinitatis miseram gentem in capitalem fraudem impellet. Ea namque furoris execratio, quae disciplina nefaria continetur, ipsam domum furis, atque periuri palatium, & vires atque robur absument. Idem alio viso non minus admirando declaratur. Sequitur enim continuo. Egressus est Angelus qui loquebatur mecum, dixitque ad me. Attolle oculos tuos, & vide quid est istud quod egreditur? Tum dixi, quid est? Dixitque, epha est quod egreditur. Hoc oculus eorum in vniuersa terra. Et ait, Haec est impietas. Et abiicit eam in epha. Deinde abiicit massam plumbeam super os ipsius. Per epha quod est publicum & communi lege definitum mensurae genus, intelligitur iuris administratio, quam pestilens Iudeorum doctrina furenter occupauit. Et ideo scriptum est impietatem in amphoram illam iniectam fuisse. Ait deinde, hoc esse eorum oculum in vniuersa terra, quia iam non à Iudaeis, quid lex diuina sanciat, sed quid Talmud, aut Cabala praescribat, examinatur. His duobus Satanae placitis & inuentis tanquam oculis vtuntur, & in interpretes tanquam in salutis auctores intuentur. Massa vero plumbea in os ipsius impietatis iniecta non ponderis tantum in terram deprimentis grauitatem, sed etiam mentis stupiditate

tem designat. Nihil enim à Iudaeis isti nefariae disciplinae deditis effertur excelsum, nihil elegans & acutum; sed ponderosum, hebes, & obtusum. Adiungit deinde. Cumque sustulissimè oculos vidi, Et ecce duae mulieres prodibant, ventusque erat in alis earum: erantque eis alae quemadmodum alae ciconiarum: quae epha in altum inter caelum & terram sustulerunt. Personas rebus imponit: & quemadmodum impietatem sub personam mulieris inducit: ita per duas mulieres quae impietatem sustinebant, duplex impiae disciplinae genus intelligit. Ciconiae serpentibus pascuntur, & ideo alas harum mulierum, quas ventus hoc est inanitas impellebat, alis ciconiarum similes facit: vt ostendat, omnem earum impetum vt serpentibus, id autem est, nutrimentis scelerum demonum industria suppeditatis alantur, incitari. Dicit vas illud inter caelum & terram sublatum extitisse, quia disciplinae illae nefariae neque terram tangunt: neque enim quidquam hominum mediocrium approbatione dignum sonant: neque rursus aliquid altum atque caeleste pronunciant. Adiungit deinde. Dixi ergo ad Angelum, quo ferunt istae ephae? Dixitque ad me. Vt extruant ei domum in terra Senaar, vbi praeparabitur ei, & collocabitur ibi super basi sua. Per terram Senaar, vbi Babel id est confusio aedificata fuit, intelligit rem publicam sceleratam & impiam diuinae legis sanctitati contrariam, omniaque perturbandi atque peruertendi studium. Ibi sedem impietatis fore dicit, quia in caetu Iudaeae perfidiae quae Babylon quaedam existimanda est, Ierosolymae caelesti contraria, sic ea disciplina furoris insedit,

vt ex illa quasi ex adyto responsa petantur. Et cum sanctum sit, ne pythones qui strident incantationibus suis consulantur, sed omnia vitæ consilia ad diuinæ legis normam & testimonium referantur: Iudæi pro legis sanctitate legis labem & corruptelam consulunt: & magiæ disciplinam, quam cabalam appellant, in diuina sede reponunt. Quid autem hoc indignius dici, aut existimari potest? Gentem sanctorum hominum stirpe procreatam, ad spem salutis sempiternæ diuinis oraculis excitatam, ad sanctissimam sobolem propagandam diuino consilio reseruatam, ita de statu concidisse, vt pro legis diuinæ studio scelus & impietatem, pro diuinæ mentis testimonio diram magiæ disciplinam, pro sapientiæ doctrina furorem, pro diuinorum hominum sententijs sceleratas opiniones sequi statuerit? Hoc igitur tam diu supplicio quo Iudæi perfidiæ pœnas luunt, satis apparet quantum sit Christi crucifixi numen atque potentia. Præsidio namque illius orbatî, hostibusque prædæ & direptioni relictî, furijs agitantur: terroribus exanimantur: à mente & consilio deducuntur: ita vt nullus tam immanis furor cogitatione fingi possit, quo non stimulentur, vsque eo dum in sempiternam miseriam irruant. Si Iudæi signa petunt, legât sanctorum hominum monimenta, quæ Christi aduentum, quæ illius mansuetudinem, quæ paupertatē & humilitatem, quæ signa mirabilia, quæ mortem, & cruciatum, quæ victoriam de morte partam, quæ clarissimum triumphum, quæ imperium sempiternum prædixerant, quo modo mysterium nostræ salutis fuit à Deo promissum, figuris adumbratum,

à pro-

à Prophetis enunciatum: recolant animis, quo tempore Christus ortus fuerit: quid in vita gesserit: quam admirandis operibus insitum numen expresserit: quam libenti animo vitam pro omnium salute profuderit: quanta virtutis inuictæ documenta in cruce dederit: cernant animo gentium conuersionem, diuinæ claritatis splendorem in omnes terras diffusum: Iudæorum qui Christum odio persecuti sunt euersionem & interitum memoria repetant: quam veris euentis hominum diuinorum effata comprobata sint: & tum demum tam admirandis rebus, & tanta diuinorum testimoniorum consensione conuicti Deo gloriam tribuent: nec vlla præterea signa flagitabunt. Videant quomodo facinoris illius immanissimi cuius nomine gloriantur, nullum à Deo præmium consecuti sunt: imo post illum diem quo Christum occiderunt, bellicis & vastitate consumpti, exilio damnati, dedecore & ignominia deformati, scelerum pœnis agitati nullo in loco consistant. Reputent secum quo furore stimulentur: quibus nugis oblectentur: quibus fabulis aures præbeant: quos sibi magistros asciscant: quibus tenebris immerfi sint. Agitent animis quot argumentis ducti suspicari possunt, se Deo inuisos esse. Nec enim eorum preces audit: nec illis subsidio occurrit: nec illorum labores aliqua spiritus diuini suauitate compensat: imo eos ita districto gladio seueritatis insequitur, vt respirare non sinat. Illos autem in huius libri fine, ne diutius cum tanto vitæ supplicio eorum contumacia cum Dei clementia certet, exhortari minimè alienum puto. Quantum vestram salutem constitui cupiamus à viri sanctissimorum

rum hominum sanguine propagati nouit ille summus Dominus qui intimos animorum recessus explorat, & cui nihil est nec in densis quidem tenebris occultum. Quod minime mirandum est. Omnia namque bona quibus affluimus à vestro genere profecta ad nos usque peruenerunt. Principes vestri generis atque nominis illi summi viri Abraham, & Isaac, & Iacob, quos Deus secum amicitiae fœdere inuiolabili contunxit, extiterunt. Doctores vestri Moses, & Aaron se virtutis excellentis altitudine in familiaritatem summi Dei penitus immerferunt. Vestrae salutis interpretes Prophetæ sanctissimi fuerunt: vobis diuinæ disciplinæ monimenta & oracula quibus nostra salus continetur, credita atque commissa sunt: vestrum genus Dei filius secum fœdere sempiterno colligauit: è vestro corpore sanctissimi viri qui nos huius tantæ lucis participes effecerunt, prodire. vestra tandem stirpe propagabuntur, qui temporibus vltimis sanctorum patrum diuinas virtutes imitentur. Filius Dei non humanum corpus assumpsit, vt nos à coniunctione vestra diuelleret: sed vt nos vobis, & vos nobis arctissimo vinculo deuinciret. Quare par est, vt vestram vicem doleamus, & pro vestra salute vota faciamus. Quanquam quid attinet ad Deum præces fundere, qui ad vos manus intendit, & prope suppliciter (tanta est illius clementiæ magnitudo) vos rogat vt sanari velitis? Quid igitur benignitatem diuinam, quæ vos ad se, vt inquit apud Isaiam, tota die allicit & inuitat, negligitis? Cur salutem vestram proditis? Cur in pestem ante oculos positam ruitis? Cur nos hospites & peregrini

grini in tantorum bonorum possessionem missi sumus, & vos hereditatis amplissimæ patrimonio deiecti fuistis? Nos oleastri surculi in sanctorum stirpem insiti ex olea geniales succos elicimus: & vos ab ipsa olea qua nitimur excisi ad incendium reseruabimini? Vos igitur oro & obtestor per generis vestri sanctitatem, per legis diuinæ puritatem, per infinitam illam Dei clementiam qua vobis olim singulari atque patria benignitate cõsuluit, ne diutius vestra pertinacia cum illius seueritate certamen ineat. Satis vos erudit, dum vobis tam multas plagas imponit. Parentum fidem & pietatem imitami: odium & inuidiam à vobis repellite: spiritus diuini iussis obtemperate: exempla patrum qui in scelere perstiterunt detestami: Christi crucifixi cuius vim tam multis signis perspicere potuistis, numen extimescite. Nunc dum tempus est, dum aditus ad clementiam patet, dum potestis illius benignitatis infinitæ fructu potiri, respiscite, & ad illum qui vos ad se vocat inflammato studio properate. Quod si voces illius audire nolueritis, cum iterum venerit, vt iudicium de hominum factis atque fide constituat, cum illum gloria diuina circumfluentem, vitæque rationem à singulis hominibus seuerissimè repetentem, flammaque vindice hostes suos populantem, & eos à quibus in crucem actus fuit rectissimo iudicio peruertentem aspexeritis, ad cuius opem confugietis? In quas vos latebras conijcietis? Is enim qui nunc vobis vsuram vitæ concedit, vt in viam redire possitis: qui vos quamuis illius benignitati repugnetis, vocare non desistit: in vos eo seue-

seuerius vindicabit, quo nunc clementius exspectat. Duo tantum à vobis impetrare cupio. Vnum est, vt pestilentem disciplinam, quæ non aliunde quam à plaga tartarea ad perniciem hominum profluxit exhorreatis: solamque Dei legem & Prophetarum testimonia consulatis: alterum, vt nihil à parentibus præiudicati in precibus & votis offeratis: sed simplici animo ab illo summæ benignitatis & clementiæ fonte contendatis: vt quid ad salutem vestram necessarium sit, vobis clementer aperiat. Quod si feceritis nõ dubito quin is animos vestros splendore sancti spiritus illuminet: vt tum demum quantum numen atque potentia in Christo cruci affixo lateat, in-  
tueri possitis.

DE SAPIENTIA  
LIBER TERTIVS.

**I**N DÆIS quidem signa petentibus, si signis admirãdis sanari volũt, abunde satisfactũ arbitror. Si sanari nolunt, signa petere desistant. Nunc vero consequens est, vt Græcos sapientiam quærentes doceamus omnem verissimæ sapientiæ rationem Christi crucifixi mysterio contineri. Aptissimum autem huius orationis cum Græcis habende principium illud fore videtur: vnde vitæ exordium duximus. Vitæ nostræ principium fuit illa fides, qua patrem, & filium, & spiritum sanctum confessi sumus. Nec enim satis ad cælestem lucem fruendam nobis fuit illo die fateri, Deum infinita potentia, sapientia, & bonitate præditum, sempiternæ lucis originem, vniuersæ naturæ conditorem, rerum omnium formas in se mirifice continentem: sed fuit etiam necesse, vt in summa naturæ diuinæ simplicitate trium personarum distinctionem nobis esse perpetua prædicatione celebrãdam videremus. Si enim sapientiam quærimus, & sapientia in Dei notitia consistit, Deum autem is pro huius vitæ statu & conditione nouit, qui patrem, & filium, & spiritum sanctum vna diuinitate, maiestate, imperio, contineri firmissime credit, restat vt summam sapientiam in hac fide constitutam arbitremur. Præterea cum de signis ageremus, sepe Christum Dei filium appellauimus: quod Iudæi ferre nõ possunt: Græci non facile cõsequuntur: ea de causa commodum nobis



nobis visum est, ne opus imperfectum ansam calumnie præberet, Iudeos sanctarum literarum auctoritate repellere, Græcos autem aliqua ex parte tanti mysterij disciplinis instruere. Quamquam quod ad Iudeos attinet, si illi signa perspicunt, signis intelligere potuerunt, Christum esse veritatis atque iustitiæ magistrum. Is autem se verum Dei filium esse testificatus est. Qui cum sit patri amore sempiterno deivictus, consequens est, ut præter patrem atq. filium caritatem sempiternam cogitemus. Deum nemo vidit unquam. Nec enim sensibus usurpari, neque cogitationibus informari, nec scientia comprehendendi, neq. mente percipi numen illius potest. Fides tantum relinquatur, ut quoad licet, & fas est, Deum animo complectamur. Fides vero auctoritate dicentis innititur. Auctoritas autem summa in eo solo collocanda est, qui nullum in se peccatum admisit, aut mendacium concinnavit, numenque suum diuinis operibus apertissime comprobavit. Is igitur solus qui est in sinu patris nobis verissimæ Theologiæ disciplinam tradere potuit, de qua antequam aliquid dicamus opus est, ut numen illius imploremus, & ab illo petamus, ut nobis lumē suū præferat, quo sine ullo mentis errore, de tantis rebus, ut pietatis verissima ratio præscribit, differam⁹. Admonēdi tamē sunt, qui in hos libros inciderint, esse quædā verba, quæ non sunt ita elegantium hominum consuetudine trita, quibus quo minus utar mihi interdicitū nō arbitrator. Nā si Mathematicis, si Physicis, si Medicis, si reliquis denique in singulari aliquo artificio versatis, certa vocabula concessa sunt, longe à consuetudine comunis sermonis abhor-

rentia:

rentia: cur non id multo magis illis permittitur, qui de rebus diuinis edisserūt, in quibus necessario verba aut faciēda sunt, aut ab alijs iam facta vsu & consuetudine mollienda? Ut autem institutum prosequamur, cum de Deo neq. sensus, neq. opinio, neq. scientia, nec intelligentia sit: superat enim infinita illius amplitudo omnē mentem & rationem: & fides tantum reliqua sit, quæ constans & firma permaneat: hanc certē firmitatem habere nō poterit, nisi diuino testimonio nixa fuerit. Hoc autē testimonium facit, ut fides sit omnibus sensibus certior, omni scientia firmior, & omni deniq. mente constantior. Sensus enim sapissimè fallunt: scientia vero ea quæ facultatem humanā superant, haud quaquā assequitur: mēs humana est angustis admodum spatijs circumscripta: ita ut sola fides diuinis testimonijs constanter adhibita animos nostros sollicitudine liberet, & de rebus diuinis certos efficiat. Solius igitur Christi testimonium est quod nos sapientes redere potest. De quo summus pater ait. Ecce testem populis dedi eum, ducē & præceptorē gentibus. Ioānes vero nemo, inquit, ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Quod scimus, inquit ipse filius, loquimur: & quod vidimus testamur. De se & de spiritu sancto loquitur, quibus pater à sempiterno tēpore omnes sapientiæ opes largitate infinita referauit. Is igitur dominus qui vidit quæ videre nō possumus, qui audiuit quæ aures humane non capiunt, se Dei filiū esse testificatur. Si igitur Pythagorici tantum magistri auctoritate præiudicata mouebātur, ut nō aliud argumentū requirerent: & cum primū constaret, Pythagoræ aliquid

aliqui denunciasse, id continuo sequebantur: quid Christianis faciendum est, cum Christi diuinam sententiam operibus diuinis confirmatam acceperint? Vt Iudeis tamen omnem materiam calumnie subtrahamus, non erit incommodum aliquot antiquorum Theologorum testimonia colligere, quæ Trinitatis sanctissimæ mysterium complexa sunt, ut facilius intelligant Christum esse verum Dei filium, à patre summo ex omni æternitate generatum. Vt autem ordinem temporum sequamur, Moses hoc mysteriū occultius tradidit. Inquit enim. In principio creauit Deus cælum & terram. Pro Dei nomine est אלהים Quod nomen cū multitudinis numero profertur, id enim est quod dii, numero tamen singulari coniungitur, ut intelligamus tres personas vno tantum numine contineri. Quod quidem non in hoc tantum loco, sed passim in scriptura sancta perspicitur. Et hætenus quidem vim immensam sanctissimi numinis admiramur: nondum tamen clarissimum sapientiæ munus aspiciamus. Sapientiæ namque munus est, obscura illustrare: confusa secernere: inordinata in ordinem reducere: nuda vestire, inania complere: & res suis locis apte distributas cōuenientibus ornamentis afficere. Hæc autem ut demonstrat Moses inquit. Et dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux, & diuisit lucem à tenebris: & reliqua deinde quæ ordine singulari persequitur, vel quæ ad distinctionē, vel quæ ad ornamentum & pulchritudinem, vel quæ ad incommutabilitatem & stabilitatem referuntur. Sed illud est animaduertendum, cum opifex rerum ex nihilo cælum & terram quasi materiā ex qua mundum ædificaret ab initio condidit,

in ea creatione non ita clarè sapientiæ documenta constituisse. Erant enim omnia tenebris obducta, & confuse & turbide fluctuabant, & huc & illuc temere iactabantur. Et idcirco non scriptum est, Et dixit Deus, creetur cælum & terra. At postquam Moses exposuit, quomodo Deus exorta luce tenebras dispulisset, & confusa discreuisset, & ornamentis pro cuiuslibet rei natura distributis affecisset, tunc vsus est hac oratione nempe dixit Deus, quam in singulis deinde operibus repetitam videmus. Cuius quidem orationis quam aliam causam afferre possumus præter eam, quæ claritate sapientiæ continetur? Lucem enim rebus obscuris afferre, ordinem collocare, res natura diuersas, locis distinctas fœdere colligare, & opibus aptissimis, pro ut cuiusque rei conditio flagitat, illustrare, sapientiæ perfectæ munus & officium est. Ob eam igitur causam in operibus illis clarissimis verbi mentio fit: vnde colligitur per verbum mentem & rationem patris intelligi. Stultissimum est enim Deo verbum nostri simile, quod è gutture funditur, & lingua, palato, & dentibus premitur, atque terminatur, & emissum dissipatur, affingere. Verbum autem Dei illius sapientia est. Itaque Dei oratio est arcani consilij temporibus ab illo definitis explicatio, & quedam quasi cum intima illius mēte consultatio, & operis denique sempiterno consilio designati molitio. Cum igitur Moses Deum in mundi fabrica loquutum fuisse demonstrat: patrem per filium qui verbum, & mens, & sapientia illius appellatur, opus quod ante designarat effecisse pronunciat. Multo autem clarius hæc personarum distinctio in hominis fabri-

ca declaratur. *Faciamus, inquit Deus, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Multitudinis numero quasi consultans filium & spiritum alloquitur: imaginis tamen vnus non plurium meminit: vt in multitudine personarum distinctionem, in imagine naturæ singularis atque maximè simplicis vnitatem veneremur. Nam quod Hebræi dicunt in hoc loco Deum fuisse cum Angelis colloquutum, impium facinus est, Angelos humani generis simul cum Deo conditores arbitrari, bonamque diuinæ gloriæ partem ad Dei ministros transferre. Vnus est enim rerum omnium conditor, vnus vniuersæ naturæ parens & Dominus, vnus rector atque moderator, qui solus à principio omnia finxit & formauit: & qui secus statuerit, contra diuinam legem plures Deos in diuina sede reponet. Illud etiam est ineptissimum, quod Iudæi quidam asserunt, Deum more hominum qui dignitate præcellunt numero multitudinis vsum fuisse, quasi fuerit necesse Deo ineptijs quas noua barbaries multis post seculis induxit, ad commendationem suæ dignitatis abuti. Ergo cum nec Angeli fuerint in societatem huius operis conuocati, nec conueniens fuerit, vt Deus solæcismum sine graui causâ faceret, confiteri necesse est, consilium illud à patre cum filio à tempore sempiterno communicatum tunc ad effectum filij opera & spiritus sancti comprobatione, aut vt rectius dicam, totius Trinitatis sanctissimæ potentia, consilio, probitate peruenisse. Sed cur hoc consilium non ita clarè in reliquis explicatur? Vt ex eo posset intelligi generis humani dignitas, cuius nempe gratia reliqua*

omnis

omnia condita & constituta sunt. Nec enim in celo, nec in syderibus, nec in sole quidem ipso reliquorum luminum principe legitur fuisse imaginem diuinæ mentis impressam. Vt igitur ostenderet opus illud præclarior, & maiore consilio formatum, ideo scriptum est Deum dixisse, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quamquam licet obscurius quoties Deum dixisse legimus, toties opera diuina summo consilio, & ratione perfecta fuisse conspiciamus. Ad hunc modum cum legimus, Vidit Deus quod esset bonum, idem Trinitatis mysterium designari cernimus. Pater enim per filium opus videt, & operis absoluti pulchritudinem amore miro complectitur. Amoris autem nomine sancti spiritus persona significatur. Non quod opera patris, filij, & spiritus sancti inter se distinguantur, & certæ singulis personis prouinciæ compacto distributæ sint: sed vt in operibus singulis omnium trium personarum coniunctio, & minimè distincta societas explicetur. Vt enim alibi scriptum est, Verbo Domini celi firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Itaque cum legimus, Dixit, aut vidit Deus, verbi, aut aspectus diuini nomine filium intelligimus: cum vero Deum opera sua comprobare videmus, spiritum illius oculis mentis intuemur. Alibi Moses cum per Dominum imbrem sulphuris & ignis, à Domino super Sodomam, & Gomorram demissum fuisse demonstrat, clare personarum discrimen apponit. Nam vtrobique nomen illud quatuor*

literarum nempe יהוה quod nullo modo, nisi in na-

h 2

turam

naturam diuinam conuenit, positum videmus. Cum igitur Deum verum vim sulphuris & ignis à Deo vero demisisse dicit, Dei filium illo iudicio patris voluntatem & imperium cō fecisse dicit. Quid? Ipsa bene precandi formula quam Deus ipse præscripsit, non ipsarum personarum discrimen explanat? Sic benedicetis, inquit, filijs Israël. Benedicat tibi dominus, & custodiat te: ostēdat dominus faciem suam tibi, & miseretur tui: conuertat dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Hic etiam ter illud sanctissimum naturæ diuinæ nomen repetitum cernimus: vt hoc numero tres in vna natura personas consistere videamus. Alio similiter in loco. Audi Israël, dominus Deus noster Deus vnus est. Ter nomen Dei posuit, vnum tamen Deum confitetur, vt tres in vna, & eadem diuinitate personas explicaret. Dauid autem quam sæpe hęc eādē Theologiæ rationem exponit? Veluti cum ait. Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis. Et vnxit te Deus Deus tuus vnguento lætitiæ. Christum Deum appellat, & à Deo patre perfusum fuisse vnguento lætitiæ, hoc est, spiritus sancti virtute significat. Tū illud, Benedicat nobis Deus, Deus noster, & benedicat nobis Deus, & metuāt eum omnes fines terræ. Alibi vero ad Sion inquit, dicetur, Homo & homo natus est in ea, & ipse fundauit eā altissimus. Quasi dicat, Magno gaudio cumulabitur fidelium cætus qui Sionis nomine sæpe vocari solet, cum fuerit hominis illius aduentus incredibili gaudio nunciatus, ita vt altero quoque verbo nuncius hominem sonet. Sed quis tandem ille homo erit, qui sit tantæ voluptatis causam communibus rebus allaturus? Hic in-

quit

quit, homo est excelsus Dei filius, qui in Sione, hoc est in Iudeorum repub. quam ipse fundauit exorietur. Alio rursus in loco Deus, inquit, iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Rex hic cui fausta & felicia precatur Christus est, quem Regis filium appellat: propterea quod erat ex semine ipsius Dauidis procreandus, cuius Christi diuinitatem eodem in carmine luculenter exponit, eumque Dei iudicio atque iustitia exornandum prædicit: quia non secundum sensus qui insidias multiplices animis intendunt, nec secundum rerum incidentium coniecturas, quæ sæpiissime fallunt, nec secundum hominum testimonia, quæ multis fraudibus vim iustitiæ & æquitatis eludunt, iudicium erat factururus: sed secundum veritatis ipsius exactissimum cogitationum quibus fraudes innumerabiles occuluntur examen, erat sententiam laturus. Hoc autem iudicium nemo nisi Deus exercere potest. Nec enim, vt inquit Ieremias, aliquis potest cor hominis perscrutari, & inspicere, nisi solus Deus. Hoc igitur in loco Dauid Deum orat, vt Deo quem Regem & filium Regis appellat, iurisdictionem suam largiatur. Multa Regis huius sanctissimi testimonia in eandem sententiam scripta prætereo. Quid de Solomone illius filio dicam? Sic enim apud illum scriptum legimus. Quis ascendit in cælum, atque descendit? Quis continuit spiritum manibus suis? Quis constrinxit aquas veste? Quis constituit omnes terminos terræ? Quod nomē est eius, aut filij eius, si nosti? Hic certè cum Dei filium appellat, illius personam non naturam à patre distinguit. Isaias vero quam clarè Christi diuinitatem celebrat? Puer, inquit,

b 3

inquit, natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus eius super humerum eius: & vocabitur admirabilis, consiliarius, fortis, Deus, Pater aternitatis, princeps pacis. Illum à Deo nobis datum esse dicit, & eum qui datus est Deum nominat. Cum igitur alius sit qui det, & alius qui datus est, satis constat filium à patre discerni. Alibi vero apud eundem Prophetam dicit idem Dei filius, A principio non in aperto loquutus sum: ex tempore quo hæc esse ceperunt aderam: & nunc Dominus misit me, & spiritus eius. Deus ipse loquitur, & se à Deo missum asseuerat, spirituque illius incitatum fuisse confirmat. Minimè necessarium arbitror omnia diuinorum hominum testimonia consecrari, quæ hanc eandem sententiam continent. Vt igitur modum statuam, duorum tantum testimonia proferam. Primus testis erit Osee, alter Zacharias. Apud Oseam dicit Deus, Domui Iuda misericordiam tribuam, & salutem Dabo eis per Dominum. Deus ipse loquitur, & salutem à Deo afferendam operatur ipsius qui loquitur, pronunciat: utrobique autem nomen illud יהוה positum videmus, ut patrem & filium intelligamus. Alio rursus in loco ait, Postea reuertentur filij Israel, & quærent Deum Dominum suum, & Dauid Regem suum & metuent Dominum, & bonum eius vltimis diebus. Dauid hoc in loco Christus est. Hòc enim nomine apud Isaiam, & Ezechielem, & alios Prophetas interdum nominatur. Hic etiam ter Dei nomen non sine mysterio repetitum cernimus. At Zacharias multo clarius hanc eandem sententiam confir-

mat.

mat. Nam apud illum Deus ita loquitur, Cane, & letare filia Sion. Ecce namque veniam, & habitabo in medio tui, ait Dominus: et adhærebunt gentes multæ Domino die illa: & in populo meo numerabuntur: & habitabo in medio tui, & scies quod Dominus exercituum misit me ad te. Quid hoc testimonio clarius, quid euidentius dici, aut cogitari potest? Deus ipse loquitur, seque venturum prædicit, foreque prænunciat, ut multæ gentes ad Domini nomen adiungantur: ipseque Dominus se à Domino missum iri præmonstrat, & in omnibus his locis nomen illud Dei quatuor illis notis inscriptum apponitur. Quid est igitur quod Iudæus tergiversari conetur? Quam erroris defensionem meditabitur? Quibus artibus elabi poterit? Deus verus se venturum denunciat: gentes exteras ad Deum verum aggregandas esse demonstrat: ipseque Deus se à Deo mittendum prædicit, & nomen domini ter repetitum animaduertimus, ut tres personas in vnius diuinitatis simplicitate veneremur: & tamen Iudæi tam claro viri diuini testimonio impudentissimè repugnabunt? & tamen in luce meridiana caligabunt? & tamen in eodem errore persistent? Eadè enim cæcitate qua Christum aduenisse negant, ut Antichristum recipiant, diuinæ sapientiæ lucem fugiunt, ut magicis Cabalæ delirationibus & commentis pestiferis incumbant. Sed in quæstionem vocari potest, cur trinitatis sanctissimæ notitia non fuerit olim explicitè tradita omnibus Iudæis, quemadmodum & nobis. Nam si ad salutem necessaria est, illi non erant de salutis spe deijciendi: si non erat necessaria, non erant inutili quæstione

b 4

reli-

reliquæ gentes implicandæ. Sed vt breuiter respondeamus, olim non erat necessarium, imo erat periculosum aliquid vulgo, de numero personarum disputari, ne Iudæi propter ingenij tarditatem tres Deos assererent. Et antequam Dei filius in terras adueniret nõ tantã fidem ab illis requirebat. Pro ratione namque muneris & beneficij magnitudo fidei atque pietatis exigitur. Nullum beneficium maius esse potuit Christi præsentia: nulla igitur maior fides vllõ tempore requirenda fuit. Quamuis enim antiqui homines olim venturæ salutis fiducia niterentur, multum tamen inter spem salutis, & salutis ipsius præsentem fructum interest. Nobis præterea post Christi aduentum maxime necessaria fuit hæc diuinarum personarum explicatio. Quomodo enim potuisset intelligi, quantum fuit Dei in nostra salute constituenda beneficium: nisi fuisset ostensum, salutem nostram per ipsius Dei filium esse constitutam? Christum vero Dei filium esse credi non poterat, nisi nobis certa fide constaret, Deum à sempiterno tempore filium sibi omnino similem genuisse, quem amore immenso diligeret. Quamuis tamen hoc mysterium minimè in vulgus emanaret, viri tamen primarij literis atque fide præcellentes illud ex sanctis literis apertè colligebant. Petrus Galatinus vir eruditione, & religione præstans & in eruendis Iudæorum arcanis valde diligens, varia antiquissimorum rabinorum qui Christi ortum antecesserunt testimonia citat, quibus Iudæos acerrimè conuincit. Testimonia sunt clarissima, quibus hoc mysterium sacratissimũ apertè confirmatur, & impietatis atque perfidiæ mucro re-

tun-

tunditur. Sed Iudæis omiſſis ad Græcos veniamus, cum quibus multo minus erit nobis negotij. Vt enim facilius ad Christi religionem adducti sunt: ita facilius ipsi Christo doctore atque magistro summæ eruditionis auscultabunt. Sed antequam cum Græcis de hac re agamus opus est, vt de questione valde inter Philosophos agitata disputemus. Questio autem erat, an mundus à sempiterno tempore constiſſet: an aliquod initium temporis habuisset. Sed mirum fortasse nõnullis videbitur, quid attineat ad sanctissimæ triadis mysterium de mundi vel principio vel æternitate differere. Quantum id ad disputationem nostram pertineat, apparebit. Plato sine dubio mundum ortum esse statuit, & Deum ex aliquo tempore molitionem illius suscepisse. Aristoteles contra, mundum nec initium temporis habuisse, nec interiturum esse. Argumeta quibus pugnat, magis illius auctoritate quam rationum pondere nituntur. Sunt autem hæc fere. Vis & ratio rei mobilis, ea ratione qua mobilis est, est ipsius mobilitatis actus. Itaque necesse est, cum causa mouens adfuerit, vt sit semper in motu. Ergo si ea quæ mobilia sunt, semper extiterunt: & qui moueret, semper extitit, motus initium habere non potuit. Si non extabat res, quæ mutationem subire posset, paranda certè fuit. Parari autem non poterat sine motu. Rem igitur mobilem motus antecessit, quod esse non poterat, cum ante illam nulla res extaret, quæ moueretur. Quod si semper fuit aliquid mobile, & simul vis quæ moueret sempiterna fuit: & tamen neque motor rei mobili motum attulit, neque res mobilis vim infinitis seculis accepit extrin-

b 5 secus,

secus, qua moueretur, motor contra motoris vim & rationem immenso tempore conqueuit. Forma namq. motoris, ea ratione qua motor est, est vt semper moueat: nam si cessauerit aliquando, motoris vis & nomen occiderit. Quod si aliquādo cessauit, & tandem se ad motum afferēdum applicuit, immutatus est. Consequens igitur est, vt illius immutationis causam queramus: & similiter illius causæ quæ motorē ad mouendū, impulit, aliam causam inuestigamus: & sic erit infinite progrediendum. Præterea tempus ortum non habuit. Tempus autem est numerus motus, secundum prius atque posterius. Motus igitur, si tempus est sempiternum, sempiternus etiam fuerit necesse est. Quod autem tempus nunquam inceperit, hoc argumento probatur. Si aliquando tempus non fuit, tēpus fuit, cum tempus non esset. Aliquando enim tempus aliquod designat. Præterea nunc quod latini philosophi instans appellant (est autem instans illo præsentis tēporis momētum, quod antequam mente concipi atq. retineri posset, effluxit) illud igitur nunc, vel instans sic definit Aristoteles, vt sit medium præsentis tēporis & futuri. Deinde sic argumentū concludit. Si tempus inchoatum fuisset, ergo tunc ab aliquo nūc, vel instante initium cepisset. Sed illud etiam nunc tēpus antecesserat, siquidem nunc & præteriti temporis finis est, & futuri principium. Ergo tempus semper fuit. A quocumq. enim nunc tempus inceperit, est necesse, vt illud nunc alicuius præteriti temporis finis extiterit. Omne igitur quod principium temporis esse posueris, tempus aliquod fuerat antegressum. Hæc quidē Aristoteles fusius quæ nos in hoc loco per-

strin-

strinximus. His argumentis victi recentiores philosophi qui se Platoni dederant, cum Platonis sententiam se tueri posse diffiderent, excogitarunt, idem Platonem sensisse, quod Aristoteles postea decreuit. Nec esse inter illos vllum sententiæ dissidium, sed orationis & styli dissimilitudinem. Platonem enim sempiternum esse mundum statuisse: neque cum mundum à Deo formatum esse dixisset, arbitratum esse mūdum ab aliqua temporis initio exordium sumpsisse, sed originem illius esse ad Deum ex tempore sempiterno referendam. Hoc igitur asserunt, de Platonis mente & sententia mundum esse à Deo ex omni æternitate generatum. Quam falsa autem eorum opinio sit, Plutarchus, & Cicero, atque adeo Aristoteles ipse qui Platonem reprehendit, eo quod temporis initium posuerit, & omnes denique antiqui Philosophi aperte demonstrant. Omnes enim vno ore consentiunt, eam fuisse Platonis sententiam, vt mundus principium temporis haberit. Proculus autem in Commentarijs, quos edidit in Timæum Platonis, Platonem statuisse mundum esse sempiternum demonstrare conatur. Quod quidem ostendere ex temporis & animæ mundi æternitate frustra contendit. Cum autem multis argumentis leuibus vtatur, aliqua tamen sunt, quæ nonnullis molestiam exhibere interdum possunt. Si, inquit, mundi conditor, atque moderator suum officium facit, cum ille sempiternus natura sit, consequens est, vt semper suum munus obeat, & non aliquando officio fungatur, aliquando rursus gubernaculum dimittat. Aliter enim illum alternis vicibus immutari necesse fuisset. Si autem

semper



semper aliquid agit, quid esse potuit, quod ageret antequam mundus esset, si nihil erat? Deinde quid illum mouit, ut cum seculis infinitis cessauisset, ita mutaretur, ut mundi creandi consilium repente susciperet? Arbitratus ne fuit nihil esse cessatione commodius? Cur igitur se postea ad mundum edificandum contulit? Existimauit officium esse muneris uacatione præstantius? Cur igitur immenso spatio otium complexus est? Quod si fuit melius mundum gigni, id uidelicet antea ignorabat, & ea de causa cum antea nihil agere melius esse statuisset, mutauit postea consilium. Aliquando igitur Deus aliquid ignorauit, & idcirco fuit postea à pristina sententia deductus. Præterea si mundus aliquando non fuit, ergo Deus tunc nihil agebat. Infinito igitur tempore potentia tantum non actu, mundi Architectus fuit. Quod autem potentia tantum est, imperfectum est. Si igitur Deus aliquo tempore potentia tantum conditor naturæ fuit, secundum hanc rationem imperfectus aliquando fuit. Hoc autem dici nullo modo potest. Nullum igitur tempus fuit, quo Deus non esset actu naturæ conditor. Mundus igitur semper existit. Hæc quidem Proculus, cuius quidem argumenta quam fallacia sint aperiemus. Necessesse tamen est, ut prius Aristoteli respondeamus. Primum Aristotelis erratum fuit illi commune cum multis. Ex ordine enim quem à principio rerum omnium conditor, cum naturæ uniuersæ statum collocauit, in natura constituit, legem sumunt, quam ipsi naturæ conditori nimis insipienter imponant, eiusque immensam potentiam nefarijs cona-

cona

conatibus astringant. Et quia sic ille sanxit, cum omnium rerum semina ex nihilo produxit, ut deinceps nihil è nihilo fieret: ij ne à principio quidē fateri uolunt, Deo licuisse rerum omnium materiã atque seminarium è nihilo proferre. Quasi sit semen aliquod in rerum natura diuina potentia atque uoluntate fecundius: aut maius sit materiam rudem & impolitam creare, quam ex eadem materia tam uarias atque tam pulchras formas effingere. Alterum erratum est, quod sic argumentatur, quasi Deus natura, & non libera uoluntate & consilio mundum cōstruxerit. Fateor equidem omne quod efficit natura, si materiæ fuerit applicatum, insitam continuum in materiam expromere, ex eaque similem sibi formam effingere: ueluti cum ignis aridis lignis adiungitur, ignis exoritur. Quod si Deus, ut quidam philosophi dicebant, esset orbis igneus, omnia coercens, & continens, & omnia natura cōficeret, mundum totum ignescere necessarium fuisset. Similiter si Deus non libero consilio, sed natura tantum omnia cōfecisset, omnia diuinitatem affecuta fuissent. Hoc autem falsum est. Falsum igitur est etiam id unde hoc sequitur. Præterea Argutulus est hoc in loco noster Aristoteles, atque plane sophista. Non enim materiam nominat, sed mobile ea ratione qua mobile. Neque Deum appellat, sed mouens ea ratione qua mouens. Ut quemadmodum Architectus ea ratione qua est Architectus actu, non potest non architectari, ita mouens ea ratione qua mouens est, non possit, sine re natura mobili quam ipse moueat intelligi. At hæc in signis differendi fallacia est. Fabricatio enim mundi non naturam diuinam attingit.



attingit. Liberum enim erat Deo vel ædificare mundum, vel non ædificare. In quo autem dicit rem mobilem si antea non erat, non potuisse sine motu parari, falsum est. Antequam enim esset materia, nihil erat quod moueretur. Et eam ob causam creatio cum sit ex nihilo, motus appellari non potest. Quod si materia sempiterna fuisset, non tamen apta ad motum accipiendum, & opus fuisset motu ad eam præparadam, minimè Deum ille motus attigisset. Aliter enim non fuisset prima causa mouens non mota, quod cū ipsius Aristotelis sententia pugnat. At inquit, si non mouebat antea, & mouit postea, immutatus est. Vnde hoc sequitur? Sequeretur porro, si natura, vt diximus, & non libero consilio mundum extruxisset. Primum, inquit, motor non erat actu, & postea factus est, quasi vero motoris nomen naturæ nomen sit, vt ea de causa mutationem in Deo formidare debeamus. Mouentis autem nomen, nō ad naturam, vt diximus, sed ad effectiōē operis æterno quidem consilio designati, opportuno autem tempore constituti referendum est. Si rursus mouentis nomen obieceris, ego Dei nomen amplectar, cui nulla vnquam mouēdi necessitas incubuit. Itaque fatebimur Deum infinitis seculis extra se nihil egisse. Mutauit ergo consilium? Nullo modo. Imo consilium quod ab omni æternitate ceperat, ad exitum opportuno tempore perduxit. Et hoc sine vlla ipsius mutatione. Nam & consilium æternum est, & opus non tactu vllius corporis, sed magnitudine virtutis absolutum. Si tempus, inquit, æternum est, & motus æternus: nam tempus est numerus motus. Sed tempus est æternum, igitur

tur & motus æternus. Ego contradico, si motus non est æternus, ergo neque tempus. Sed videamus quomodo temporis æternitatem probat. Si tempus, inquit, aliquando non fuit, ergo tempus non fuit, cum tempus esset. Aliquando enim tempus designat. Et hoc quam ridiculum est? Definitionibus enim quas ipse finxit, intemperanter abutitur. Quem admodum in definitionibus mouentis, & mobilis faciebat. Nego enim semper verbum aliquando tempus hoc quod huiusmodi conditionem sequitur, significare. Aliud enim tempus est, quod celestis naturæ conuersio definit, quod incepit esse cum ipsius mundi natura: aliud æternitatis, quæ nullo mundi circuitu definitur. Ad hanc autem æternitatem significandam necessario interdum nomine temporis vtimur, velut cum dicimus, tempus aut ætium sempiternum. Cum igitur aliquid dicimus fuisse aliquando antequam mundus fieret, non pugnantia dicimus. Nam antequam mundus esset, æternitas erat. Illud vero nunc quam subtiliter & argute in hanc festiuam fabulam inductum fuit? Nunc, inquit, est medium inter præteritum tempus & futurum. Ergo si tempus incepit, ab aliquo nunc incepit. Sed nunc esse nō potest, nisi præteritum tempus antecedit: ergo quodcumque temporis initium posueris, aliquod tempus elapsum fuisse constabit. Nego omne nunc esse præteriti temporis finem, & futuri principium. Nam ante primum nunc nullum tempus extitit, & post vltimum nunc simili ratione nullum tempus erit. Itaque definitionibus irrisis non habebit vir eruditissimus quo progrediatur. Sed mirum est, quomodo tan-

tus vir eiusmodi nugis in re tam seria oblectari voluerit. Sed multis experimentis intelligi potest, quam auersi sint à vero. Perumque qui nimis ingenio confidunt, quamuis sint disciplinis omnibus instructissimi. Proculus vero tribus potissimum argumentis mundum sempiternum esse confirmat. Primum sumit, ex aeternitate temporis, quod dissolutum est. Tempus enim aeternum esse negamus. Alterum ex animæ mundi natura sempiterna. At nos mundum animatum esse non concedimus: & ille mundum esse animantem probare non potest. Præterea Plato cuius ille sententias tuetur, in Timæo animam mundi in tempore genitā fuisse docet. Postremo quamuis & mundus, animans esset, & anima illius sempiterna, nō ob id efficeretur mundum esse sempiternum. Animis siquidem nostris Platonici aeternitatem tribuunt: sed non ex eo sequitur corpora etiam nostra esse sempiterna. Sed hæc omnia argumenta Proculus videbat, quam leuia & infirma essent: Illudque vnum propterea quod firmamentum vt apparet caussa cōtinet, fortissime tuetur. Si opifex, inquit, mundi aliquādo nihil molitus fuit, & postea nouam molitionem suscepit, aut antea non intelligebat, esse meliorem omni cessatione mundi fabricationem, aut intelligebat: si non intelligebat, ergo ignorauit aliquando. Si intelligebat, cur in finitis seculis cessauit? Tum conqueritur de illorum peccato, qui mundum ex tempore inchoatum fuisse prædicant, quod fructu tantæ gloriæ Deum aeterno tempore caruisse confirmant. Quandiu enim mundum non creauit, tandiu aiunt eum conditoris gloria caruisse. Sed vt illi, & reliquis qui in eandem sententiam dis-

discedunt respondeamus, libenter ab illis audierim, an existiment Deum non vniuersæ naturæ tantum, sed singularum, atque etiam minimarum rerum esse conditorem, omniaque numine illius gigni, ali, conseruari, statumque suum tueri. Fætebuntur certè, si Platonem audire voluerint. Rursus interrogabo, fuerit ne melius aliquod animal, aut arborem aliquā singularem procreatam fuisse? An non fuerit? Non de Bucephalo quaero, sed de quouis equo: nō de Platano sub qua Socrates cum Phædro de pulchritudine disputauit, sed de quouis arbore. Sic igitur quaeram. Fuit ne melius hanc oleam nasci? An non fuit? Si fuit melius nasci, cur à tempore sempiterno nata non fuit? Cur illius opifex tam inuenso spatio eam procreare noluit? Ignorabat melius esse hanc oleā gigni? Ergo ignoratio cadit in Deum. Non ignorabat? quæ fuit igitur illa tam diuturna cessatio? Si antea ignorabat, atque tandem resipuit, igitur immutatus est. Vtrumque est nimis absurdum, ergo & illud vnde sequitur. Olea igitur hæc sempiterna est. Sempiterna certè inquit. Nam à tēpore sempiterno fuit in semine. Quid narras? Semen ne est arbor ipsa, quæ est ex illo procreanda? Est quidem non actu, sed potentia. Rectè. Ergo opifex rerū à tēpore sempiterno huius arboris conditor, nō actu sed potētia fuit. Secundum igitur huius arboris rationē non fuit actu, sed potentia tantum procreator. Per te igitur quod ad hanc oleā attinet, imperfectus opifex aliquando fuit. Hoc dici nulla ratione potest: olea igitur hæc est sempiterna. Hoc in loco scioli ridebunt. Quasi ego non videam ipsum argumentum esse ridiculum. Quid, inquit, attinet vnius

vnius oleæ procreationem cum vniuersæ naturæ fabrica conferre? Inter rē vtramq. multum interest: inter argumentandi rationē nihil omnino. Si enim argumētum aliquā vim habet, ex æquo in rebus maximis atq. minimis valebit. Si vero in minimis nullā vim habet, nec in maximis habebit. In differēdi namq. ratione, non quod in rebus ipsis per se consideratis pōdus sit, sed quid ex rebus positis & constitutis efficiatur, attendimus. Sed, inquis, ego Deum otiosum cogitare nō possum. Rectē facis. Nunquā enim ab actione sempiterno tēpore cessauit. Quid agebat: inquis. Id certē quod mundū multo maiore interuallo superat, quā mundus ipse oleæ quā exempli gratia posui, naturā, de quo statim dicemus. Sed prius considerandum est, quō formula qua Proculus mundum esse sempiternum probare nitebatur, reciderit. Eodē namq. argumento probari poterit, nō oleā tantum, sed mentā & rutam esse sempiternam. Sic fiet, vt omnia in dijs numerari possint, cum nihil possit esse ex omni parte sempiternum, nisi solus Deus. Quod vero ad argumentum attinet de potentia, ex qua ostendere nitebatur, si mundus factus ex certo tempore fuisset, Deum cum non actū, sed potentia tantum mundi conditor fuisset, imperfectum fuisse, quam rugatorum sit non facile dixerim. Duplex est enim genus potentia: vnum materiae, alterum causæ efficientis. Potentia quidem materiae imperfectionem designat. Significat enim non quod est, sed potest esse. Quemadmodum cera non est volucris imago, sed potest esse, si fuerit artificis opera qui ceram fingit, & format adhibita. Vt igitur ex materiae potentia, materiae im-

per-

perfectio concludatur, ex artificis tamen potentia non imperfectio, sed perfectio insignis ostēditur. Nullā enim perfectionē artifex ex opere à se artificio singulari perpolito consequitur: imo perfectionē quā habebat, expromit, & artis insitæ præcellentia declarat. Ad hunc modū summus naturæ parēs & conditor, cum naturā finxit, nullū ex opere tā præclaro artificio affecutus fuit: sed quod semper ex omni aeternitate habuerit, indicauit. Nomē igitur potētiae in summo rerū optime nō imperfectionē, sed immensam vim, præcellētissimū nūmen, admirandā sapientiā & probitatem, in omni aeternitate prædicandā significat. His tamē argumētis inducti homines acutissimi tāta dementia vexati sunt, vt rebus corporeis aeternitatē, & quod est consequens, diuinitatem tribuerint. Quod quā falsum sit ratione percipitur. Quid enim potest esse mobile, quod nō sit natura caducum & interiturum? Quod enim mobile est, nō per se mouetur, sed aliunde motum accipit. Ergo cum id quod motum affert, mobile corpus mouere desierit, vis & ratio mobilis interibit. Cum vero vita rei mobilis in perēni & cōtinuata motione cōsistat, cessante illa motione res mobilis extinguetur. Deinde cuius partes corrūpuntur, & totum est corruptioni similiter obnoxium. Sed mundi partes corrumpuntur, ergo & mundus est eisdem legibus corruptionis alligatus. Præterea omne concretum & coagmentatum, est dissolubile: quod autem dissolubile est, interiturū est. Ipse namq. interitus est naturæ dissolutio. Omne vero corpus est coagmētatū, ergo dissolubile, & interiturū. Sed mūdus corpus est, ergo efficitur eū esse natura dissolubile, & interiturum.

i 2

Quod

Quod autem interiturum est, principium habuerit necesse est. Rectius igitur Plato. Alia namque dixit esse, alia prope modum non esse, sed oriri, labi continuo, & occidere. Mundum autem cum sit corporeus, illis rebus annumerat, quæ natura oriuntur, & occidunt. Neque enim fieri potest, ut totum dissimilem naturam habeat ab ea, quæ ex omnibus partibus suis constat. Duplex æternitatis genus posuit. Vnum quod principio & fine careret, alterum quod haberet principium, nullo tamen fine terminaretur. Alia enim sic condita à principio fuisse, ut natura disfluere: alia ut perpetuo manerent: non natura sua, sed conditoris ipsius moderatione & benignitate. Sed modum transgressi sumus, cum in re tam claris Dei testimonijs tam sæpe probata & constituta rationibus etiam uti volumus. Vrgent tamen aduersarij, & nihil remittunt. Quid agebat, inquiunt, Deus immenso tempore? In quibus rebus erat occupatus ante naturam conditam? Quod opus erat illius tam præclarum, & excellens, quod tanto interuallo mundi pulchritudinem superaret? Dicam. Filium sui splendoris imaginem, infinita sapientia & probitate præditum, sibi que modis omnibus similem generabat, & genuit, quemadmodum etiam in perpetuum generabit. Vt enim ex sole semper natiuus splendor existit: ita ex Deo summo atq. sempiterno, summa atque sempiterna claritas & lumen exoritur. Quid ais Philosophæ? Opinari illum qui mundum nutu & imperio procreauit, qui rerum omnium fator & altor extitit, qui animantibus, & arboribus, & minimis etiam plantis fecunditatem dedit, infæcundum infinitis seculis extitisse? Et illum, cuius

numine:

numine & voluntate, terræ atq. mariæ tam varium & multiplicem fœtum ediderunt, nihil ex se gignere potuisse? Quomodo enim in conditam naturam fecunditatem inducere potuisset, si fuisset natura infæcundus? Si generationis nomen exhorres, propter animantium in propaganda sobole perturbationem Deo prorsus indecoram, nimis hebes, & rudis es. Ita enim omnes omnium rerum actiones ad Deum reuocandæ sunt, ut omnis prius imbecillitas, atq. perturbatio secludatur. Itaque in generatione diuina neque motus ullus, neque consortium ad prolem suscipiendam intelligi sine summo scelere potest, cum in Deum perturbatio nulla cadat, nec is sit, qui consortio naturæ ullius indigeat, cum fecunditas illius omnipotens, immensa & infinita sit. Cum autem hæc generatio natura constet, necessario consequens est, ut filius patri similis sit. Est igitur similiter omnipotens, & sapiens, & benignus, immensus, & infinitus. Aliter enim minime speciẽ patris exprimeret. Quid enim interuenire potuisset, quod eam à perfectã similitudine patris abduceret? Non matris natura dissimilis, cum sine matre genitus sit: non materiæ vitium, cuius contagionẽ Dei maiestas non admittit: non casus aliquis aduersus, qui nullus esse poterat: non externa vis quæ nondum extiterat: etsi extitisset, infinitæ Dei potentiæ minimè nocuisset. Ergo quemadmodum pater est natura omnipotens, atq. sempiternus, ita filius est natura omnipotens atque sempiternus.

Qui igitur filium minorem patre secundum naturam asserit, patrem immensa gloria spoliare conatur. Negat enim immensam illius vim & fecunditatem: negat luminis sem-

piterni claritatem: negat infinitam sapientiam atque probitatem: & tantum deniq. de gloria diuina detrahit, quantum nullius mente & ratione cogitari potest. Qui enim filij numē & gloriā termino circumscribit, illum infinita gloria priuat: quod cōuicium in patrē sine vlla dubitatione redundat. Qui igitur tā audax & temerarius est, qui hoc asseneret, infinitū scelus in patrē & filium suscipit. In patrē quidem, quia illū infinito numine, vi, potentia, fecunditate, gloria priuare contendit: in filium vero, quia quantū potest à patris summa atq. sempiterna similitudine, & identitate perfectissima diuellit. Sed de hoc tāto & tam immani scelere alio in loco dicemus. Nunc autē Græcos admoneamus actionis diuinæ duplex genus esse: aliud interius, aliud autē exterius. Interius autē est id de quo nunc loquimur, quod natura cōficitur. Exterius autem, quod Deus extra se libero consilio & voluntate clementer exequitur. Itaq. cum nihil ab omni parte sempiternū esse possit, nisi vnum illud principium à quo naturæ omnes profluxerunt: aliter enim non vnum principium, sed multa atq. dissimilia fuissent: nec vllus ordo in rebus, sed confusio vigisset: externum opus cum non ex essentia diuina nascatur sempiternum esse non potest, maximè si corporeum est, & idcirco natura dissolubile. Mentis quidem æternæ sunt, non quidem à natura diuina (vt quidam suspicati sunt) haustæ atq. quasi decerptæ, sed ad Dei similitudinem factæ, & ita constitutæ, vt nunquam interirent. Itaque principium habuerunt, finem autem non sunt habituræ. At quod ex Dei ipsius essentia gignitur, sempiternum sit necesse est, & eidē patri à quo

natum

natum est numine, potentia, imperio, maiestate, infinitate si millimum. Tantū igitur rebus vniuersis à Deo conditis, siue corpore constant, siue à corpore secretæ atque liberæ sint dignitate filius antecellit, quantum ne cælestis quidem orationis vbertate explicari potest. Nam quæ poterit esse numinis infiniti, cum operibus ab illo finitis comparatio? Non vacabat igitur Deus ante naturam conditam: non se languori atq. desidia dedebat: non otium turpe actioni præclaræ anteferebat. Id enim agebat, quo nihil potentius, nihil admirabilius, nihil pulchrius, nihil amabilius, nihil melius, nihil salutaris, ne ab ipso quidem patre excogitari potuisset. Ipsam namque mentem & sapientiam, suæ virtutis imaginem, suæ lucis splendorem, ipsum filium seculorum omnium conditorem, omnium rerum futurarum formas in se perfectissimè continentem generabat: & quamuis mundus nondum fieret, iam mundi perfectio in filij mente consistebat. Timæus apud Platonem dicit Deum cum à se mundum effectum cerneret, summo opere letatum fuisse. Quod quidem è sanctis literis sumptum videtur. Sic enim scriptum est, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et his quidem verbis summi artificis gaudium designatur. Nihil enim quæuis artificem æquet atque operis à se perfecti species atque pulchritudo delectat. Consequens igitur est, vt summus artifex ex operibus suis absolutis, gaudium summum percipiat. Et ideo scriptum est, Delectatus est Dominus operibus suis. Hic est illud ludus, hæc illa voluptas, qua sapientia (vt videmus apud Solomonem) se perfusam fuisse testificatur.

i 4

mundi

mundi opifex, rerumque omnium parens & conditor, magnū gaudium ex mundi conditi perfectione cepit, quantum gaudium, & quam plena voluptas illius à sempiterno tempore ex filij perfectione constiterit, quæ mēs, quis Angelus, quæ potestas atque principatus, quis ardor cælitum, quæ sapientia, quæ diuinæ magnificentiæ sedes explicare dicendo poterunt? Gaudium enim immensum & infinitum, nulla vnquam cælestium mentium eloquentia consequetur. Aristoteles in libris quos τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ nominat, cum beatam vitam in contemplatione poneret, Dei beatissimam vitam in sui ipsius contemplatione constituit, ex qua illum summo gaudio cumulari confirmat. Aliquid dixit vir doctissimus, quamuis non omnino quid dicebat, intelligeret. Ex ea nempe speculatione nata est illa species sempiterna, mens & sapientia patris, immensæ atque sempiternæ voluptatis origo. Cum de Deo loquimur obstupescimus, eo quod neque nomen, nec orationem, qua sanctissimum illius numen explanare liceat habeamus. Similitudinibus tantum utimur à natura sumptis. In omnibus siquidem naturis ille imaginem aliquam aut certè vestigium suæ perfectionis impressit. Congruum igitur est, ut similitudines conferamus, & ita quasi quibusdam adminiculis ex speculatione naturæ communis, ad conditorem naturæ ipsius aspiremus. Ut autem ad Aristotelem reuertamur, qui beatissimum Dei statum, in sui ipsius attentissima consideratione posuit, animaduertendum est, an ex ea sententia possimus aliqua ex parte, rationem originis sempiternæ qualis sit existimare. Quare ut commodius fieri possit,

possit, nos ipsos inspiciamus. Cum quilibet homo seipsum considerat, summumque studium in sui ipsius speculatione ponit, partus quidem minime contemendus exoritur. Partus autem est nostri notitia, in qua prisca olim Philosophia magnam sapientiæ partem collocavit: si vere illius est præceptum illud, quod multi Apollini Delphico tribuebant, nempe cognosce te ipsum. Ergo si me ipsum cognosco, & aliquid in me dignum laude reperio, consequens est, ut me ipsum diligam. Omne enim quod pulchrum & laudabile est, amorem natura consiliat. In quolibet igitur homine in sui ipsius consideratione defixo est mens, quæ totius animi statum acriter & attentè considerat: est cognitio quæ ex ipsa consideratione ortum habet: est amor qui ex cognitione excitatur. In nobis quidem hæc omnia accidentia sunt, quibus animi commutantur, & varijs modis afficiuntur. Eam enim notitiam capiunt, quam non habuerant: eo amore commouentur, cuius vim antea non ita clarè senserant: & sæpenumero à constituta sententia, & opinione desistunt. Omnia vero quæ in nobis inhaerent, cum in Deum conferuntur, ita conferenda sunt, ut prius omnis imbecillitatis opinio circuncidatur, ut nihil quod Deo sit indignum, animo cogitetur. Cum igitur ille maximè simplex & vnus sit, nullumque accidens ad compositionem suæ perfectionis admittat, efficitur, ut quod in nobis accidens est, in illo certa ratio permanens sit, naturaliter & stabilitate consistens. Ergo cum naturam suam, quod perpetuo facit, attentè considerat, ipsam sapientiam gignit, omnes vitæ, lucis, bonitatis, pulchritudinis, voluptatis, immor-

talitatis opes in se continentem: & rebus omnibus cum illi visum est, à se conditis, vt cuiusque conditio flagitat, vt sint, vt viuant, vt sentiant, vt moueantur, vt intelligant, causas afferentem: & vniuersum mundum varijs opibus & ornamenti, largè atq. munificè locupletantem. Hunc diuinum partum, hanc admirandam, & immensam diuinæ virtutis speciè, hoc clarissimum patris ipsius speculum, hunc fulgorè sempiternū ex sempiterno splendore patris exortum, nos Dei filiū (vt sanctæ literæ facere admonent) appellamus. Ex hac autem diuinæ mētis intelligētia, & ex immēse pulchritudinis animaduersione amor summus, atq. sempiterna voluptas elicitur, quæ patrè filio, & filium patri, caritate sempiterna deuincit. Hoc arctissimum amoris diuini vinculum, hanc summā & immensam caritatis atq. voluptatis rationē spiritum sanctū oracula diuina nominant, tēporibus diuino consilio præfinitis diuinis sensus animis inspirantem, mentes radijs sempiternæ lucis illustrantem, & inflāmantem, hominesq. à terrestrium rerum cupiditate ad cælestium, atq. diuinarum studium traducentē. Cum autem in Deo nihil sit admistum, nihil ex naturali forma & qualitate coniunctum, nihil in eo possit esse prius, aut posterius, nihil maius, aut minus, nihil valentius, aut imbecillius, necesse profecto est, vt patri filius, spiritus sanctus vtrique sit par & æqualis, & naturæ vi, & ratione, imperio, numine, potestate, in omni æternitate simillimus. Neq. enim diuersitas, aut inæqualitas, aut dissimilitudo in vna eademque sempiterna natura cogitari potest. Itaque vnū Deū immortalem, incorporeum, infinitum immutabilem, omnipotentem,

tentem, natura maxime simplicem, personarum numero & ratione discretum colimus & veneramur, & in huius summæ veritatis confessione, tanquam in arce munitissima constanti fide consistimus. Patrem originis auctoritate principē, filium insita pietate patris iussis obsequentem, spiritum sanctum ab vtroq. manātem credimus. Istā fidem professi sumus, cum primum è tenebris emersi lucem aspeximus: itaque citius nobis quispiam vitam eripiet, quam ab hac summæ veritatis confessione depellat. Sed, inquit fortasse aliqui, nos pugnantia dicere. Pugnantia quidem diceremus, si naturam vnā, & eādem esse multiplicem, secundum naturæ rationem diceremus. Sed non id dicimus. Sed in vna natura trium personarum distinctionem, vt nos diuinum numen edocuit, constanter asserimus. Id, inquit, ratione consequi non possum. Homo audax & importune crede quod te recta ratio confiteri cogit, & id quod ratio comprehendere nequit, omitte. Recta ratio sanxit, vt Deo qui fallere non potest, fidem habeas: & cuius causam peruestigare non potes, minimè perscruteris. Nam quid tu ratione cōsequeris? Quas naturæ causas penitus exploratas & cognitatas habes? Quam rerum scientiam satis explicatam fuisti vnquam summo studio consecutus? Si magnos in philosophia progressus habes, hoc vnū certè percepisti, te nihil vnquā (vt Socrates aiebat) percepisse, omnemq. sapientiā moderatione, & religione cōtineri. Moderatio namq. facit, ne falsa opinio sapientiæ quæ summa demētia est, in animos latenter irreat: Religio autem, vt cæleste numē vrearis, & id quod Deus enunciat verum esse constituas. Ille



igitur tantum sapiens esse poterit, qui se ipsum abiecerit, & Deo in disciplinam tradiderit. Discipulus autem illius esse non poteris, nisi firmam fidem verbis illius adiunxeris. Discentem, inquit Aristoteles, credere oportet. Quod rectissime dictum est. Multa namque sunt in artibus humana solertia inuentis, quæ non statim à principio possunt eorum qui discere incipiunt, cogitatione cõprehendi. Qui igitur doctoribus sapientibus fidem non habet, spem in studio progrediendi prorsus abijciat. Quod si fides est hominibus qui arte aliqua præcellunt, habenda: quomodo non multo magis erit Deo qui nunquã fallit, aut fallere potuit adhibenda? Cur igitur te non abijcis? Cur nõ tuæ mentis angustias recognoscis? Quomodo non ipsum numen quod temere perscrutari niteris extimescis? Nam si Deo credere non vis, nisi rationẽ rei quæ tibi credenda proponitur explores, nihil vnquã illi credes. Est ne aliquid in vniuersa natura, quod sæpius tractes, & cuius familiaritate & cõsuetudine arctius implicat<sup>9</sup> sis, quã animus tuus? Non profecto. Age iã videamus, an animi tui naturam cognitã habeas. Narra igitur, quæ sit illius species: qua vi corpus agitet & moderetur: quæ sit illa corporis mortalis cū animo immortalis cõiunctio: quis sit in sensibus vigor: quæ vis horum quæ sensibus excipiuntur impressio: quæ memoriæ capacitas: quæ rationis inuẽtio, solertia, cogitatio, & ex rebus ante cõstitutis apta conclusio? Quid ergo est? Te ipsum non vides, & Dei præpotentis naturam, & maiestatem, qui habitat, (vt Paulus ait) lucem inaccessibilem, videre contendis? Tu qui ne solis quidem aduersi radios sustinere potes, illius splen-

splendoris immensi claritatem imbecilla mentis acie sustinebis? Nec interim diræ cæcitatæ supplicium pertimesces? Vt enim qui oculos in sole defigunt, oculorum aspectum amittunt: ita qui è terminis assignatis egrediuntur, vt lucem immensam percipiant, mentis aspectu priuabuntur. Duplici namque ratione fieri potest, vt homines in tenebras incidant. Vna est lucis ipsius odium atq. fuga: altera est nimis curiosa supra quã est concessum, lucis inspiciendæ cupiditas. Si igitur tenebras metuis, & salutari luce compleri desideras, non causas & rationes, quas consequi non potes, inquiras: sed fidẽ tantum diuinis testimonijs adiunge, & satis habe, quod certus esse possis, ea quæ credis esse Dei voce & sententia confirmata. Si cupis interdum naturæ adminiculis erigi, vt facilius Dei notitiam capias, id quidem tibi per me licebit, ea tamen lege, vt intelligas nullam esse in natura speciem, quæ possit perfectè pulchritudinem & amplitudinem diuinæ mentis imitari. Quamuis enim in rebus singulis obscuram Dei similitudinẽ & vestigium intueri liceat: cum tamen illius numen omnibus rebus ab illo conditis partibus infinitis antecellat, consequens est, vt in cælestibus etiam mentibus, quæ multo propius ad Dei similitudinem accedunt, multo maior dissimilitudo, quã similitudo immensæ illius claritatis appareat. Idcirco autem fit, vt cum duplex ratio de rebus diuinis differendi sit, vna quæ rerum omnium formas & perfectiones in Deo summe constituat: altera quæ nihil eorum quæ sunt in Deum conuenire demonstrat: multo certior habeatur ea ratio, quæ Deum ab omni naturæ similitudine & communionẽ secludit: quam



illa quæ in Deum omnia congerit. Nam quæ vox & oratio immensam & inexplicabile naturâ ipsius diuinitatis explicabit? Quæ mēs illius infinitâ sapientiâ & bonitatē cogitatione complectetur? Quæ igitur similitudo speciē illius atque formam referet? Quâuis enim in Deo sint omnia, rursus tamen omnia non incommode à Deo seunguntur. Nihil est enim nec in cælo, nec in terra, nec inter homines, nec inter Angelos, neq. sensibus obiectum, neq. mente & ratione perceptum, quod similitudinem illius omni ex parte referat: nullum nomen, nulla vox & oratio, quæ numen atque naturam illius explicet. Sic autē fit, vt cum similitudinem illius in omnibus rebus extare, & eminere videamus: multo tamen maiores dissimilitudines non in rebus tantum corporeis, nec in humanis tantum animis, sed in mentibus illis beatissimis quæ luce illius clarissima perfruuntur, inspiciere liceat. Verum cum aliter nihil de Deo cogitare possimus, non incommode similitudines conferuntur, vt aliquam saltem notitiam paullo clariorē habere possimus. Hoc autem in loco venit in mentem mihi, non mediocriter admirari, qua taciti suspitione prisca homines ternarium numerum tanta religione coluerint, vt illum in sacris omnibus adhiberent. Aristoteles eam rationem affert, quod perfectionem designet. Principium enim, & medium, & finem complectitur. Pythagorici ad tria numina mundi totius originem referebant. Platonici Deum, & mentem ex Deo prognatam, & animâ mundi in rerum omnium principatu locabant, & ideo numerum hunc sacrum habebant. Non defuere Poëtæ qui dicerent, Deum mundi opificem,

ficem, Deum illius patrem, de nocte hoc est autem intimo mentis arcano consuluisse, qua ratione mundum faceret, atque perpoliret. Quin etiam Poëtæ, qui Mineruam è capite Iouis enatam asserbant (vt quidam Philosophi interpretati sunt) ostendere conabantur sapientiam ex Deo natam esse. Sed vt ad ternarium numerum redeamus, multi à Pythagora & Platone profecti illum in singulis rebus inesse varijs rationibus explicabant. Nam & vnde fluerent, & earum progressionē, & postremo conuersionem qua in naturæ principium, vt in finem vltimum referebantur, non imperite cogitabant. Deinde singulis naturis formam, & facultatem, & actionē tribuebant. His & alijs rationibus quas persequi esset infirmitum; hunc numerum quasi numinis similitudinē retineret, amplexi sunt. Plato in quadâ epistola quâ ad Dionysium scribit, trinitatis mysterium timide atq. titubâter attingit. Sic enim ait. Obscure tibi significabo, ne si forte tabula aduerso casu, vel mari, vel terra perierit, is qui legerit, intelligat. Penes vniuersi Regē sunt omnia, & gratia illius coherēt, & permant: & ille est causa totius decoris & honestatis quæ in rebus insidet. Secundū vero circa secunda, tertium circa tertia. Nō secundum Regē, neq. tertium nominat: timet enim tres Reges appellare, cum vnus tantum Rex & dominus rerū omnium sit: deinde quæ secunda, quæ tertia sint illa, quæ nomini secundo aut tertio moderanda relinquit, non explicat. Præterea nulla prorsus reliquerat. Nam omnia penes summum Regem esse dixerat, cui rerum omnium causam attribuerat. Anigmate igitur vsus, triplicem vim & rationem ordine triplici,

in eadem regni maiestate distinxit. Fortasse enim cū in Ægypto simul cum Eudoxo sapientiæ comparandæ gratia commoratus est, posteris Iudeorum qui cum Ieremia in Ægyptum euerfis Ierosolymis immigrarant, operam dedit, & ab illis hoc mysterium didicit. Illud interim velim animadvertant omnes, qui nomina Christo dederunt, nempe quātum illius in nos beneficium extiterit. Nam cum homines olim ingenio præstantes in tanta rerum diuinarum ignoratione versarentur: cum illud nescio quid, quod ex operibus naturæ colligebant, esset tam multis erroribus inquinatum: cum nunquam id afsecuti fuissent, vt dignam de numine diuino sententiam haberent: summus ille dominus atque parens optimus, vt mentes nostras erroribus infinitis liberaret, notitiaque diuinitatis instrueret, cælestem nobis disciplinam tradidit: & quod multo maius est quam optare quisquam auderet, huius discipline doctorem non aliquem prophetam, nec Angelum, sed vnicum filium gloriæ suæ splendorem, & imaginem suæ claritatis adhibuit, qui non obscure & implicite, sed clare atque dilucide quantum ad nostræ salutis rationem pertineret, nobis verissimæ sapientiæ lumen porrigeret. Quibus igitur carminibus summi doctoris nomen in cælum efferemus? Quibus laudibus tantæ benignitatis amplitudinem celebrabimus? Quid igitur nos impedire poterit, quo minus inanes hæreticorum argutias contemnamus? Cur non fallacias, & captiones, & commenta ridicula, aut potius lugenda despiciamus? Cur non aranearum telas, in quibus imbecillæ mentes tanquam muscæ miserabiliter inhærescunt, constātī fide pererrumpimus? *Causa quidem*

per-

perditorum hominum, qui contra huius sapientiæ lucem bellum comparauerunt, satis fuit olim sanctissimorum hominū argumentis euicta, conciliorū decretis sæpe numero iugulata, odio populorū percussa & abiecta, iudicijsq. diuinis acerrimè redarguta. Quis igitur illam ab inferis excitauit? Quis tam nefarium & immane scelus instaurauit? Quis tam fidelis Satanæ minister extitit, vt de integro perditæ causæ defensionē susciperet? Ex literis enim Stanislai Hofij Cardinalis viri sanctissimi atq. sapientissimi non ita pridem accepi, regiones illas Sarmatiæ finitimas Ariana peste laborare. O tempus miserum & calamitosum, multis lacrymis & mæroris acerbitate lugendum. Non satis fuit ad reliquas miseras nostras insignis cladis accessione cumulandas pestis illa teterrima, quæ ordinem vitæ sustulit, quæ licentiam atque libidinem in mores incitauit, quæ vniuersæ reip. statum perturbauit, quæ iniquitatem diuinæ iustitiæ furenter affinxit, nisi ad pristina mala, hoc tam infandum scelus accederet? Hæ qui tantum facinus ausi sunt, ut Arium & Eunomium, & reliqua mōstra immania suscitarent, Christiani nominandi sunt? An potius Christiani nominis hostes sempiterni? Si Christiani sunt, Christi disciplinam audiant. Si Christiani non sunt, cur Christianorum nomen, vt occultius nomini Christiano perniciem moliantur, vsurpant? Quæ est igitur Christi disciplina? Ioannē audiamus, aut potius ipsius Christi numen in pectus Ioannis inclusum. In principio, inquit, erat verbum. Per verbum patris mens & sapientia declaratur, pro verbo enim Græco nēpe *λόγος* positum est, quo omnia designata & constituta sunt.

k

verbum

Verbum igitur hoc erat in principio. Quod principium nar-  
 ras? Temporis? Deus cuius sempiterna dignitas agitur, hoc  
 tantum scelus auertat. Si enim erat in principio temporis, &  
 ante illud principium non erat, & tempus cum mundo simul in-  
 cepit, ergo ante mundum conditum verbum patris non erat. Si  
 non erat verbum, hoc est mens, ratio, consilium, ergo rerum om-  
 nium conditor sine mente & ratione mundum finxit. Teme-  
 ritas igitur & non sapientia mundum procreauit. Quo quid  
 scelestius dici potest? Non id dicimus, inquiunt. Fatemur enim  
 verbum multis ante seculis quam mundus fieret, constituisse.  
 Rectè. Sed tamen, in principio, non temporis ut fatemini: tem-  
 pus enim cum mundo simul incepit. Ergo multis ante seculis  
 quam mundus esset, verbum erat. Si igitur non fuit in prin-  
 cipio temporis, fuit in principio eternitatis. Nullam enim du-  
 rationis aliud spatium intelligi potest, nisi aut tempus, aut  
 eternitas. Si verbum igitur fuit in principio eternitatis, sem-  
 per fuit. Si enim aliquod spatium antecessisset, illud tempus à  
 quo incipit, principium appellari non posset. Principium enim  
 id solum appellari debet, quod aliunde non fluxit. Itaq. cum  
 duplex principium sit, aliud temporis quod cum mundo simul  
 inchoatum est, ante quod nulla natura corporis extitit, aliud  
 eternitatis quod principium nullum habet, Moses cum de mun-  
 di conditi ratione differeret, principium temporis rebus temporis  
 ipsius dimensione terminatis sapienter accommodauit. Ioannes  
 vero cum de natura diuina sermonem institueret, principium  
 Dei naturæ cõsentaneum diuinitus adduxit. Hoc autem aliud  
 esse non potest, præter eternitatem. Hoc igitur planè dicit.

Verbum

Verbum patris ab omni eternitate fuit. Sequitur deinde, Et  
 verbum erat apud Deum. Apud Græcos est *ἔν, λόγος*. *ἐν πρὸς τὸν θεόν*  
 hoc est, verbum rationem habebat ad ipsum Deum nempe pa-  
 trem. Nota namq. illa quæ ad Dei nomen adiungitur certam  
 personam designat, ad quam verbum sempiternum rationem  
 atq. respectum habere dicit. Hic iam personarum distinctio-  
 nem cernimus. Ratio enim & cõparatio fieri non potest, nisi  
 inter res ratione distinctas. At deinde, Et Deus erat ver-  
 bum. Hic rursus summam naturæ vnus simplicitatē aspici-  
 mus, & Dei verbum Dei nomine illustrari videmus. Hoc, in-  
 quit, erat in principio apud Deum. Eandem sententiã repetit,  
 ut fortius hereticorum amentiam cõuincat. Hoc idem, inquit,  
 verbum id est filius, qui ad patrem respectum habet, à principio  
 erat, hoc est in omni eternitate viguit. Sequitur deinde, Om-  
 nia per ipsum facta sunt. Qui Deum fatetur esse mundi to-  
 tius architectum, & Ioanni fidem habet, quã habere necesse est,  
 si Christianus est, & Ioannem audit dicentem, Omnia per ver-  
 bum facta fuisse, dubitare non potest, quin verbum sit ipse sum-  
 mus Deus, cuius numine, mente, consilio, & probitate omnia  
 siue cœlestia, siue terrestria condita & cõstituta sunt. Quod  
 si verbo facta minimè fuissent, siue cõsilio facta fuissent. Ver-  
 bum enim mens & ratio patris est. Quod autem sine mente  
 & consilio sit, temere fit. Quod temere fit, bonum & pul-  
 chrum esse non potest. Quomodo igitur dici potuisset, Vidit  
 Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona? Si vero bona  
 sunt, verbo facta sunt. Est enim verbum hoc ordinis, pulchri-  
 tudinis, utilitatis, atque totius honestatis efficiens. Si autem

k 2

omnia

omnia sine vlla exceptione quæ facta sunt, per verbum facta sunt, & verbum ipsum (vt hæretici dicunt) factum fuisset, sequeretur verbū seipsum effecisse. Quo quid dici potest amentius? Si enim verbum antequam fieret, esse non poterat, quomodo seipsum facere potuit? Pergit deinde Ioannes, & docet ipsum verbum non modo naturam vniuersam condidisse, verum omnium vitam & lucem ipsius numine contineri. Ad-  
dit deinde, Et verbum caro factum est. Illud, inquit, ipsum verbum quod semper ex omni æternitate fuit, quod verum Deum appello, quod sempiternam ad patrem Deum rationē habuit, quod semper fuit patri summo, eadem natura, numine, & maiestate coniunctum, quod omnia, siue quæ videntur oculis, siue quæ mente percipiuntur effecit, quod est vita, lux, salus, & totius purchritudinis, & bonitatis origo, salutis humane gratia verus homo factus est. Hæc quidem summus ille Theologus Ioannes de filio Dei testificatur. Videant igitur Ariani cuius numen oppugnant. Nam contra Dei sempiternam mentem & rationem, contra mundi totius architectum, contra vitæ, salutis, & dignitatis auctorem, contra summum Deum, qui vt nos diuinitatis participes efficeret, homo fieri voluit, bellum nefarium, & impium, omnique scelere pe-  
nitus imbutum moliuntur. Quantum igitur possunt, operam dant, vt nobis vitam, salutem & decus eripiāt, patremque summum decore sempiterno immensi splendoris spoliēt. Ergo tam sceleratæ sententiæ princeps & auctor homo non fuit, sed monstrum atque prodigium, pestiferumque antiqui serpentis instrumentum. Subiungit continuo Ioannes, Et habi-

tauit

tauit in nobis: vidimusque gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Vnigenitum appellat, quod nomen illi minime cōueniret, si ex nihilo factus fuisset, vt hæretici dicebant. Eadem enim conditione secundum suæ naturæ rationem fuisset qua reliqua omnia, quæ ex nihilo condita sunt. Cum igitur Ioannes illum vnigenitum appellat, planè docet illum esse ex patris summi natura & essentia generatū: & ob id nullo modo reliquis Dei filiis qui in illius sacra adoptiua venerunt, annumerandum. Ioannes vero Baptista quā sepe diuinitatem illius extulit? Qui de celo, inquit, est, super omnes est: & Quod vidit & audiuit testatur. Ipse vero Dei filius quid in hac sententiā dicit? Pater operatur, & ego operor. Quo dicto Iudæi acriter exarserunt. Intellexerunt enim Christum se Deū & patri equalē testificari. Quorum enim opera necessario coniuncta sunt, natura atque potestas distingui non potest. Neque Ioannes dicit illos Christi verba perperam intellexisse. Propterea, inquit, volebant eum occidere, eo quod non solum Sabbathum violabat, verum & Deum patrē appellabat, seque Deo equalē faciebat. Alibi vero, inquit ipse dñs, Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in vitā æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim pater signauit Deus. Hoc est autē, Mirum vobis minimè videatur, si filius hominis cibum qui immortalitatem continet, pollicetur. Nam hic filius hominis, est etiam vere Dei filius. Paulo dixit obscurius: Hunc enim pater signauit Deus. Id autem est, in filio pater viuam atque sempiternam imaginem sui numinis & immense potestatis impressit: ita vt nihil inter patrē & filium præter

k 3 pro-

proprias personarū notas, interesse possit. Ait præterea, Nō quod patrē viderit quisquā : sed is qui est à patre vidit eum. Et, Nō potest filius facere quidquā, nisi viderit patrē faciētē. Quæ enim ille facit, eadē & filius similiter facit. Et, Maiora his demonstrabit opera, vt vos miremini. Sicut enim pater excitat mortuos, & viuificat : sic & filius quos vult, viuificat. Tum illud, Venit hora quando mortui audient vocē filij Dei, & qui audierint viuent. Sicut enim pater habet vitam in semetipso: sic dedit, & filio vitā habere in semetipso. Tum illud, quam clarum Theologiæ verissimæ testimoniū continet? Ego, inquit, & pater vnū sumus. Alibi vero, Ego sum resurrectio & vita. Et, Philippe, qui videt me, videt & patrē meum, nō credis quia ego in patre, & pater in me est? Thomas vero illum Deum & dominum confessus est. Fuit ne ab illo reprehensus, quod illi Dei nomē attribueret? Non certè. Nō enim dominus fidē, sed tarditatem in fide habenda vituperat. Quia vidiisti, inquit, me Thoma, credidisti. Beati qui nō viderunt, & crediderunt. Quid ergo est? Si Christianus es ipsum Christum audire recusabis? Ipse Dei filius p̄ quē omnia facta sunt, se verum Deum, atq. sempiternū, & patri equalē apertē testificatur, & tu interim numen illius contēnes? Imperium detreclabis? Fidemq. dictis illius abrogabis? Neq. duos exitus eorum qui hāc sententiam primi dixerunt, exhorresces? Si beati sunt futuri qui crediderunt: certè miseri, infelices, & ærūnos futuri sunt, qui fidē, qui veritatem, qui religionē labefactare conati fuerint. Docet ipse Dei filius se nihil habere à patris natura, numine, functione seiunctum, se vitā, se lucem prædi-

cat:

cat, numenque suum operibus indicat, seque patri equalē testificatur, omniaq. patris consilia sibi à sempiterno tēpore cōmunicata demonstrat: & tamen erunt qui se Christianos esse iactent, & tā claris & illustribus ipsius Christi testimonijs infando scelere repugnent? Si enim qui Christo vestem detraherunt, vt cruci nudum affigerent, scelestissimi habēdi sunt: quibus verbis eorum scelus explicabimus, qui non vestem laneam Christi corpori, sed diuinitatē sempiternā illius numini detrabere conantur, vt interitū nomini illius afferāt? Nos, inquit, Christum Deum esse confitemur, sed sempiternum atq. patri equalē esse negamus. Quid ais? Deus est, & sempiternus nō est? Ita sane inquit. Fuit enim tēpus quādo nō fuit. Præterea è nihilo formatus est. Quomodo igitur fuit in principio apud patrē? Si enim tempus non extabat, in principio tēporis esse nō poterat. Si aliquādo non fuit, nec in æternitatis principio fuit. Quomodo igitur dici potuit in principio erat verbum? Vbi igitur illud vnigeniti nomen, si cōmuni rerum aliarum ratione fuit à Deo nō ex Dei essentia, sed ex nihilo generatus? Præterea vnde plures dij repēte exorti sunt? Si enim Deus est, & aliquando non fuit, ergo cum vnus tantum Deus esset, duo alij postea cōstituerunt? Quomodo igitur verum illud est, Dominus Deus tuus Deus vnus est? Itē illud, Ante me non est formatus Deus, & post me non erit? Si enim Deus ipse negat, Deum nullum esse post se formādum, quæ tam proiecta fuit eorum audacia, quæ Deum alium fingere ausa fuit? Si vero non cadit in hominis sani rationē, vt Deus sit, & sempiternus non sit, si filius Dei ex aliquo temporis

k 4

initio

initio formatus esset, Deus certè nō esset. Ergo in Dei filio Dei & vnigeniti nomen occidisset. Nec enim Deus esse potest, qui aliquādo nō fuit: nec vnigenitus appellari, qui multos atq. prope innumerabiles fratres habet eadē omnino ratione generatos. At cum illum sapiissimè in sanctis literis & Deum & vnigenitum Dei filium nominari videamus, non verum est eos qui cōtra sentiunt, spiritus sancti testimonio clarissimo impudētissimè refragari? Deinde si ita esset, vellem scire quomodo argumentum illud dissoluerent, quo peripatetici mundum à tempore sempiterno fuisse confirmāt. Ego quidē iure argumentum irridebam, quod illis qui Dei filium ab infinito tēpore genitum esse negāt, facere non licet. Eodem argumento vti lubet. Quæro igitur si filius Dei non ex omni æternitate generatus est, quid agebat Deus antequam filius genitus esset? Quid moliebatur? Cur infinitis seculis ab omni munere vacauit? Putauit ne melius esse sibi similitē filium generare? An non putauit? Si credidit esse multo ad suā gloriam & laudē præstantius filium generare, cur seculis infinitis tāta magnitudine decoris & dignitatis orbari sustinuit? Si non credidit, cur ex certo tēpore gignendū munus & officium suscepit? Si vero id illi in mentem à principio nō venit, & postea nouum cōsiliū cepit, ergo antea aliquid ignorauit, & postea immutatus est. At nec ignoratio, nec vlla mutatio cadit in Deum. Semper igitur Deus optimè nouit quanto esset præstantius filium immenso splendore & claritate præditum ex se gignere, quā non gignere. Semper igitur genuit. Præterea cum propriū bonitatis sit se cōmunicare, quæ nā inuidia po-

tuit

tuit immensam illā probitatē impedire, quo minus filium gigneret, cum quo opes suas immensas & infinitas perfectissime cōmunicaret? neq. vident interim homines perditissimi, & profligatissimi, cum Deum solitarium immenso tēpore fuisse fingunt, illi simul & otium turpe, & inuidiā tetram impudenter affingere. Turpissimum namq. est ei qui potest aliquid præclarum agere, otium amplecti: & inuidiosum, nullam alicui partē felicitatis impertiri. Haec accine demētīā? Hunc accine furorem? Hoc quod in mediocribus etiā hominibus minimè ferendum est, vt otium officio, & inuidiam benignitati præponant, id homines de summa illā sapientia atq. infinita probitate suspicari? Ego quidē (vt paullo ante dixi) Philosophorum argumenta ridebā, eo quod demōstrabā actionē illā in qua Deus à sempiterno tēpore occupatus erat, tā clarā & illustrē fuisse, vt neq. mundi innumerabiles essent cum illius amplitudine & claritate cōparādi. Isti vero qui ne in vnigenito quidē Dei filio æternitatem cogitare possunt, dicant quid actum fuerit ante quā Dei filius existeret, vt patrem simul & flagitiosi lāguoris, & turpis inuidie crimine liberēt. Si immenso tempore nihil agere voluit, otium officio præferēdum existimauit: si nihil ab omni æternitate protulit, cū quo vim sui numinis infinitā cōmunicaret, inuidia fuit affinis. Quoniam vtrum magis à Deo alienum sit, diiudicare non possum. Sed quantum inter Aristotelē virum à diuinis institutis alienum, & Arium hominē Christianis disciplinis imbutum, & sacris mysterijs initiatum interfuerit, operæpretium erit animaduertere. Aristoteles quod non potuerit propter excellētis ingenij

k 5

pra-

præstantiã Deum nihil agentem cogitare, rebus corporeis & interituris æternitatem attribuit: Arius cõtra cum nihil immensum atq. sempiternũ ppter mentis stuporem, & ingenij tarditatẽ animo cõplecti potuisset, vnico Dei filio, nature totius opifici æternitatem denegauit. Aristoteles quãuis (vt suspicari licet) videret absurdũ esse rebus corporeis, quæ sunt natura dissolubiles, æternitatem cõcedere: multo tamen id tolerabilius existimauit, quã otium Deo sempiternum diuiniq. muneris vacationẽ dare: cõtra vero vir scelestissimus vnici Dei filium, qui secula & æternitatẽ cõdidit tẽporis spatio definit. O miserandã ingenii hebetis & obtusi tarditatẽ. O detestabilem & execrandã mentis impiæ cæcitatẽ. O dirum scelus nullis piaculis eluendum. Vnicum Dei filium immense claritatis imaginem, mundi. totius architectum, rebus ab illo cõditis aggregari? & immensum gloriæ splendorẽ ab illo sempiterno diuini luminis exortum, hominis furiosi & insani tenebris obscurari? & patrẽ simul geniti filij gloria, & filium patri dignitate spoliari? Quantum enim in illis est, id agunt, & moliuntur, vt Dei filium in turbã conijciant, & gloriã illius obscurent, & patrẽ immensa gloria priuẽt. Indignum facinus asserit esse Proculus Deum seculis infinitis conditoris gloria caruisse: & ob id vniuersam naturã ab omni æternitate conditam esse dicit. At quanto cuius homini Christiano videri debet indignius, arbitrari Deum seculis infinitis tali filio caruisse? Nec enim mundus est mens & ratio patris, non lux, nõ veritas, non vita, non splendor gloriæ, nõ seculorũ conditor, non parentis imago, non rerum omnium rector, atq.

mode-

moderator: & ideo non erat ea iactura quam Proculus opinabatur. At qui tali filio patrem immenso spatio spoliare nituntur, contra Dei ipsius immensam gloriã acerrime pugnat. Si enim ex infinito tempore Deum filium sibi similem gignere non potuisse dicunt, Deum infinita vi & potentia priuãt: si non intellexisse quam id se deceret, intelligentia: si noluisse, probitate. Ergo temporibus infinitis Deus per illos neque omnipotens, neque sapiens, neque bonus extitit, atque (vt aliquid magis admirandum dicam) neque sempiternus. Si enim (vt Paulus in epistola quã scribit ad Hebræos ait) per filium secula facta sunt, tempore quo filius nõ erat, æternitas esse nõ poterat. Nihil igitur erat sempiternum. Hoc igitur concludi ex eorũ sententiã potest, ipsam æternitatẽ æternitate caruisse, & præterea patrẽ ex quo omnis paternitas (vt Paulus ait) in celo, & in terra nominatur, qui per filium secula condidit, tẽpore sempiterno sempiternũ minimẽ fuisse. Hæc omnia absurda ex tã impia & scelerata sententia colliguntur. En pietas, en religio, en gloriæ diuinæ studium, en species sanctitatis atque probitatis. Dum simulant homines scelestissimi se diuinæ gloriæ causa laborare, molestissimeque ferre, Dei maiestatem illi soli debitam, cum filio communicari, atque quasi distractione indigna comminui, Deum infinitis seculis desidem, & inertem faciunt, illumque potentia, & probitate infinita spoliãt. Potentia, quia negant illum filium sibi similem, infinitaque virtute præditum gignere à sempiterno tempore potuisse: probitate, quia statuunt illum immenso tempore neminem

CUM



cum quo virtutis infinitæ lumen cōmunicaret, habere voluisset. Quodcumque deinde principium temporis Dei filio turbulentissimi erroris opinione confinxerint, ex tempore infinito Deum patris immensa gloria spoliabunt, & mente, luce, ratione, atq. adeo æternitate priuabunt. Si igitur Arius, & qui illum secuti sunt, qui tãtas turbas in vniuersa Christiana rep. commouerūt, digni sempiternis cruciatibus existimãtur: quomodo non multo magis illi qui malis alienis erudiri potuerūt: & post tam multa secula scelus sepultum instaurarunt, sempiternis supplicijs dignissimi sunt? Paulus vero Christum Deum in omni æternitate prædicandum nominat. Ad Philippenses vero scribens ait illum patri æqualem esse. In epistola ad Collossenses ait plenitudinem diuinitatis in eo corporaliter habitare, hoc est verè. Corporis enim nomen apud Paulum sæpe veritatem significat. Vmbra enim ex altera parte respondet. Similiter in Epistola ad Hebræos Christi diuinitatem luculentissimis verbis exag Gerard. Sed quid opus est Pauli testimonio cum ipsius filii Dei testimonia clarissima habeamus? Qui quidem non sibi solum, sed etiam spiritui sancto eiusdem diuinitatis testimonium dat. Si diligitis, inquit, me, præcepta mea seruate, & ego rogabo patrē, & aliū paracletū dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis, quē mūdus nō potest accipere. Cū aliū dicit persone discrimē apponit. Cum spiritū veritatis nominat, naturæ vni simplicitatē demonstrat. Veritas enī ipse Deus est, apud quē (vt Iacobus ait) nō est trãsmutatio, neq. vicissitudinis obūbratio. Sed qd est hoc quod dicit, ego rogabo patrē? Si patri æqlis est,

est, quomodo vt maiorem orat? Filius secundum humanæ naturæ rationem, quamuis sit illi data omnis potestas in cælo & in terra, & ad dexteram patris sedeat, & voluntas Domini manu illius dirigatur, aduocatus tamen noster est apud patrem. Oratio autem est muneris alacritate summa perfecti, & absoluti representatio, sanctissimi sanguinis oblatio, sacrificijque purissima sanctitate procurati religio, quæ omnia voces semper ad patrem mittunt, & nobis ab eo veniam poscūt, & spiritus sancti dona efflagitant. Quin etiam vt Dei filius ea ratione qua iussa patris exequitur, & fuit antiquæ legislator, atque (vt Paulus ait) se medium inter Deum & homines interposuit, vt homines in Dei studium incitaret, & Deum hominibus conciliaret, per illum enim pater (vt Paulus in epistola quam scripsit ad Ephesios, ait) ab æterno tempore omnia sibi reconciliare constituit, non incommodè pro nobis orare dicitur. Quamuis enim eadem sit illi cum patre potestas, idem imperium & numen, eadem rerum omnium moderatio, omnia tamen ad patrem tanquam ad principium aptissimè referuntur. Itaque patrem orat, vt spiritum sanctum mittat, qui nos in rebus aduersis consoletur, hoc enim paracleti Græcum nomen designat. Ait rursus. Cum venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatē. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur. Rationem totius veritatis exponit. Id enim tantum verum est, quod est ex illo veritatis & iustitiæ fonte sempiterno derivatum. Ergo quidquid aliunde profluxerit, est vanitas, fraudis & mendacium. Ideo diabolus in veritate non stetitisse dicitur,



tur, sed mendacij pater esse: quia primus omnium à patre summo descendit: amoreque sui ipsius obcæcatus se se à veritatis coniunctione disiunxit. Itaque verum est Deo semper adherere, illius monitis & institutis vitam moderari, nec aliquid pulchrum & expetendum ducere, quod ab illius sententia & præscriptione discedat. Ergo cum à me aliquid promo, quod à Deo nõ didici, cū me ipsum nimis amo, ingeniūque meum & non diuinum spiritum consulo, à veritate diuellor. Ob eam causam Dei filius eo argumento probat, quod verum illius iudicium sit, quod nihil omnino, nisi quod audierat à patre loqueretur. Quæ audiimus, inquit, loquimur, & quæ vidimus testamur: & Quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis: & Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me: & A me ipso non loquor, & alia multa in hęc sententiam dicit, quæ non humilitatis & abiectiois argumentum, sed veritatis firmum testimonium continent, neque filij gloriam imminuunt, sed supra quam dici potest amplificanc. Gloria siquidem filij est, non posse neque natura, neque sententia, neque actione à patre disiungi, sed potius ad nomen illius à quo genitus est, omnia studia, consilia, opera reuocare. Hanc eandem gloriam & dignitatem sibi cum spiritu sancto communem esse declarat, cum ait, Non à seipso loquetur, sed quæcumque audiet loquetur. In quo non modo rationem veritatis explicat, verum & spiritus ipsius diuinitatem aperit. His enim verbis ostendit Dei consilia ab æterno tempore cum illius spiritu communicata. Quod enim ab omni æternitate constat patri fuisse sine vlla recusatione con-

iun-

iunctum, parum ne liquet, ab illius natura disiungi nõ posse? Subiūgit deinde, Et quæ ventura sunt annūciabit vobis. Ventura nunciare non potest nisi solus Deus. Sic enim legimus apud Isaiam, Ventura nunciate nobis, & dicemus quod dii estis vos. Quod si propheta ventura nunciarunt, id diuini spiritus afflatu & impulsu fecerunt. Vnde constat futurarū rerum prædictionem spiritus sancti numine contineri. Quod si solius Dei est futura prænoscere, & constat hanc prænotionem esse in sancti spiritus numine constitutam, certè liquet, illum Deum verum esse, eadem maiestate cum patre & filio præditum. Nemo cognouit, inquit Paulus, quæ Dei sunt nisi spiritus Dei. Non secludit filium. In personis enim diuinis hoc est perpetuo retinendum, vt quidquid de vna dicitur, quod non propriam personæ rationem & discrimen contineat, ad alias personas referatur. Veluti cum dicitur, Nemo nouit patrem nisi filius, hæc ratio minimè spiritum sanctum à magnitudine huius cognitionis excludit. Omnia enim quæ in Dei filium conferuntur, sancti spiritus numini similiter assignatur. Multa, inquit Dei filius, habeo de vobis loqui, & iudicare. Sed qui me misit verax est, & ego quæ audiui ab eo loquor in mundo. De spiritu sancto dicit, Nõ à semetipso loquetur, sed quæcumque audierit, loquetur, & annūciabit vobis. De Christo dicitur, Vnigenitus filius Dei qui est in sinu patris, ipse enarrauit. De spiritu sancto similiter, Quæ dei sunt nemo cognouit, nisi spiritus Dei qui in ipso est: De se dicit ipse dñs, Ego veni in mundū, vt perhibeā testimoniū veritati. De spiritu sancto similiter, Cū venerit ille paraclætus doctebit

vos

vos omnem veritatē. De se dixit, Hæc dixi vobis antequam fiant, vt cum facta fuerint credatis. De spiritu sancto similiter, Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. De se dicit, Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis. De spiritu sancto Paulus ait; Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Gemitus enim nostros elicit, cum nos precandi studio vehementer inflamat, De se dicit filius Dei, Ego à patre processit, & veni in mundum. De spiritu sancto ait, Cum venerit paracletus, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Vt igitur filius à patre exoritur: ita spiritus sanctus ab eodem principio & fonte progreditur. Sed quæri potest, cur non dixerit, Qui à patre & à me ipso procedit? Dixit certè, si sententia rectis ponderibus examinetur. Omnia enim præter originis sempiternæ rationem, qua pater filium genuit, quæ de patre dicuntur, ad filium similiter conferenda sunt. Omnia, inquit ille, mea, tua sunt: & tua, mea sunt. Et id circo spiritus patris etiam filij spiritus appellatur: si spiritus filij est, à filio certè procedit, aliter enim spiritus illius non esset. Præterea mitti, & procedere in personis diuinis reciproca sunt. A quo enim quæque persona procedit, ab ea mittitur: & à qua mittitur, ab ea procedit. Pater mitti non dicitur, quia non aliunde principium duxit. Filius à patre mitti dicitur: ab illo enim processit. Similiter filius à spiritu sancto nisi secundum humanæ naturæ conditionem mitti non dicitur. At spiritus à filio mitti dicitur. Ab illo igitur procedit. Cum venerit, inquit ille, paracletus, quem ego mittam vobis à patre spiritum veritatis, qui à patre procedit

ce. lit, ille testimonium perhibebit de me. Tum illud, Ille meam gloriam illustrabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Sed vt, vnde defleximus, redeamus, constat certe non muneris & officia tantum esse filio cum spiritu sancto communia, verum & vtriusque naturam distingui non posse. Vterque enim à patre processit. Ergo cum in Deo nihil sit maius, aut minus, aut diuersum atque dissimile, efficitur spiritum diuinum eadem natura, numine, imperio, maiestate mundum vniuersum moderari. Is hominum mentes claritate diuini splendoris illustrat: is animos mortalium amore diuinitatis inflamat: is spiritui nostro cælestis nobilitatis atque adeo diuinæ agnationis clarissimum testimonium dat: is nobis magister, ductor, atque moderator est. Quomodo autem eadem omnino sint opera patris, & filij, & spiritus sancti Paulus aperte demonstrat. Diuisiones, inquit, gratiarum sunt, idem autem spiritus: Diuisiones ministracionum sunt, idem autem dominus: & diuisiones operationum sunt: idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Sed clarius testimonium afferri in medium non potest eo, quod apud Mathæum ipsius domini iussu continetur. Euntes, inquit, docete omnes gentes baptizantes eas in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Hic certè coniuncta cernimus, quæ disiungi minime possunt. Si enim nefas est arbitrari cum primus homo fuit à Deo è terra formatus aliquem à Deo fuisse in societatem operis illius à se citum: quanto scelestius erit opinari, in hac multo clariore forma atque diuinæ generationis ratione, qua ita geniti & informati sumus, vt diuinam speciem referamus, aliquem præter

præter Deum ad naturæ nouæ atq. plane cælestis procreationem conuenisse: fieri non potest: fides id cōmentum repellit: recta ratio id nullo modo prorsus admittit. Vt igitur Dei solius numine & benignitate in hęc nouā vitā ingressi sumus: ita solius Dei nomē cuius virtute atq. potentia lucē cælestem aspeximus, tunc audiuius, vt illius perpetuo fiducia nitemur. Nomen igitur patris, & filij, & spiritus sancti, vnius Dei nomen est, trium personarum explicatione contentum. Vnus Deus, vna fides, vnum vitæ lauacrum est, vna confessio, qua Deum vnum tribus personis discretum illo natali die venerati sumus: & hac fide cōfirmati apud Christum sacramento diximus. Alius quidem est à patre filius, non aliud: alius spiritus ab vtroque non aliud: vt semper intelligatur in personis distinctio, in natura summa simplicitas. Nunquam vnā personā appellamus, quin reliquæ simul occurrāt. Si patrem nominas, filium consequenter intelligis, atque simul amoris vinculum, quo filius patri coniungitur. Si filium appellas, pater simul & amoris sempiterni coniunctio in votis occurrit. Si spiritum vocas, simul originem vnde spiritus emanat, mēte recolis, & ipsius patris atq. filij indissolubilem atque sempiternā caritatis immensitatem. Deus, inquit Ioannes, caritas est: & qui manet in caritate, in Deo manet. Hęc caritas æterna spiritus sanctus est. Vt enim sapiens pater sapientem filium genuit, & ex vtroq. spiritus sanctus sapientiæ magister emanauit: & tamen filius singulari quadam ratione eo quod pater illum intelligendo genuerit, sapientiæ patris appellatur, ita bonus pater, bonum filium genuit, & ex vtroque

bonus

bonus spiritus extitit: & tamen ob id quod spiritus ex voluntate patris extiterit, singulari ratione bonitas, amor, & caritas appellatur. Tres sunt, inquit Ioannes, qui testimoniū dant in cælo pater, verbum, & spiritus, & hi tres vnum sunt. Pater testimonium dedit filio cum dixit, Hic est filius meus dilectus. Filius testimonium dedit patri, cum nomen illius in terris ignotum explicuit: & cum insitum numen operibus admirandis indicauit. Spiritus sanctus testimonium similiter dedit, cum super Christum insedit, nec inde rursus auolauit. Opera deinde quæ Christus faciebat, opera patris erant. Ipse namq. dicit, Pater in me manens ipse facit opera. Opera etiā filij similiter erant, Opera, inquit, quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Opera etiam sancti spiritus erant: Si ego, inquit, spiritu Dei eicio demonia, peruenit in vos regnū Dei. Pater post filij in cælum ascensum spiritum misit: filius similiter eundem spiritum legauit: spiritus vt voluntati patris atq. filij satisfaceret, discipulorum animos inflammauit. Et hi tres vnum sunt. Vnum videlicet numen, vna natura, vna maiestas, vna volūtas, vnum imperium, vna deniq. & infinita potestatis, sapientiæ, probitatis, benignitatis amplitudo. Inquit præterea, Tres sunt qui testimoniū dāt in terra, spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres in vnū sunt. Spiritus enim testimoniū reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Aqua vero puritatis, integritatis, innocentie atq. iustitiæ documentis similiter testimonium dedit. Cum enim in ijs qui salutaribus aquis abluti & expiati sunt, & pignus spiritus acceperūt, animaduersa fuerit admirabilis vitæ conuersio, parum ne

l 2

firmum

firmum testimonium illa tantæ virtutis & religionis opera continebunt? Sanguis etiam testimonium mirificum tribuit. Ij enim qui non furore, & alienatæ mentis insania, vt ij faciunt, qui diuturna sceleris consuetudine perturbati, & vitæ ipsius impurissimæ odio ducti, se ad mortem offerunt, sed sana mente firmoque iudicio, animoque acriter inflamato mortem contemnunt, sanguinemque suum libentissime pro Christi gloria & iustitiæ sanctitate profundunt, clarissimum testimonium dicunt. Et hi tres in vnum sunt, in vnam enim rationem conueniunt. Idem namque spiritus qui Christi numè testimonio suo comprobatur, est qui animorum sordes eluit, qui animos corroborat, atque confirmat, & cupiditate gloriæ immortalis inflammat, ita vt mortem pro Christi gloria appetitam omnibus vitæ commodis anteponant. Illa autem precatio qua Christus patrem suppliciter orabat, cum mors illius instaret, vt discipuli illius vnum fierent, & studio caritatis illam summam diuinarum personarum in vna natura vnitatem quoad liceret imitarentur, quo alio pertinebat, quam vt spiritus sanctus adueniens eorum voluntates conglutinaret? Cum enim pugnae, dissolutionis, interitus seminarium in multiplici & effrenata rerum terrestrium cupiditate consistat, efficitur, vt qui huic cupiditati interitum attulerit, & animos cupiditate vnus summi boni vehementer incenderit, is discordiam tollat, & sempiternam pacem conciliet. Quis autem hoc tantum beneficium afferre potest, nisi spiritus idem totius pacis, & verissimæ iucunditatis effector? Is enim præstat, vt gustu verissimæ voluptatis futiles & inanes facillimè contemnantur.

nantur: sensu celestium diuitiarum terrenæ despiciantur: studio gloriæ diuinæ falsi honoris & dignitatis ornamenta respiciantur: & mentes studio nominis diuini vehementissimè concitentur. Ergo cum seditionis materia tollatur, & idem omnes ardentè expetant, sintq. inter se moribus & vitæ simillimi, & quilibet in altero sui imaginem mète perspiciat, & arctissimo spiritus sancti vinculo inter se deuincti sint, ex omnium animis vnus sensus atq. voluntas efficitur. At quot nominibus sanctæ literæ spiritus sancti numen conantur exprimere? Spiritum sapientiæ, intelligentiæ, consilij, & fortitudinis, prudentiæ, religionis, veritatis, libertatis, adoptionis appellant. Fontem perennis aquæ, diuini ardoris incendium, ordinis, conuenientiæ, pulchritudinis, voluptatis effectorem prædicant. Illius abscessu neque lux, neque vita, neq. decus, neque incunditas vlla reperitur. Omnia tenebris obruuntur, pestiferis morbis impediuntur, evertuntur, luctu, mærore, acerbitate conficiuntur. At illius præsentis numine nouus repente ornatu exoritur, omniaq. læta & collustrata cõspicimus. Fructus spiritus (inquit Paulus) est caritas, pax, & gaudium. Sublata namq. libidine quæ in animi statu turbas efficit, & foras excurrit, vt tumultus excitet, nefariumq. bellum contra societatem generis humani moliatur, caritas ad quã natura propensum sumus, opera diuini spiritus ardès existit. Ex ea deinde, pax quæ superat omnem sensum consequenter exoritur. Mens enim ita Deo cõiungitur, vt in summa tranquillitate versetur. In illum enim qui ad hunc modum in Dei tutela atq. presidio latet, neque libidinis importunæ temeritas inuehitur: nec illius

animum vllæ pœnæ scelerū persequuntur: neq. formidines gra-  
ui cura sollicitant: neq. mundi totius fragor metusq. ruinæ la-  
befaciat: nec intenti vlli terrores & cruciatus de statu cōuel-  
lunt. Ex his tantis bonis gaudium illud nascitur, quod Ioan-  
nes Mannā absconditum nominat: quod Petrus lætitiā in-  
explicabilem appellat: quod David torrentem voluptatis esse  
dicit: quod postremo Christus gaudium stabile atque sempi-  
ternum fore prænunciat. Hac spiritus diuini incunditate cō-  
pletus animus exultat, tantaq. lætitiā gēstī, vt imperitis in-  
terdum desipere videatur. Quā variæ fuerunt olim Philoso-  
phorum de summo bono sententiæ? Alij namq. dignitatē, alij  
doloris vacuitatē, alij voluptatē, alij naturæ principia ex ani-  
mi sententiā cōstituta, alij denique alias summi boni rationes  
excogitabāt. At hæc ōnia simul in spiritus sancti munere &  
benignitate cōsistunt. Is enim est verissimi decoris, & hone-  
statis, & dignitatis architectus: is animos hominum incundi-  
tate sua ab omni sensu doloris auertit: is naturā animi ad Dēi  
similitudinē facti pfectē cōstituit: is mētes humanas tāta vo-  
luptate perfundit, quantā nulla vbertas orationis explicare  
dicendo poterit. Quis igitur sapiēs? Quis felix? Quis bonis om-  
nibus affluens? Si sapientia diuinarū rerū notitiā cōtinetur, sa-  
piens ille solus est, quē spiritus diuinus erudit. Si sapiētiae fru-  
ctus est in verissimis bonis collocādus, spiritus sanctus est, qui  
animos diuinis ornamentis afficit, diuitijs verissimis locuple-  
tat, firmo & inuictō præsidio munit, & sempiterno gaudio  
cumulat. Sed esto, spiritus sanctus sapiētes efficit, eloquentes  
autē minimē. Imo illius eloquētiæ cōpotes efficit, quā nullum

excel-

excellens ingeniū, nulla differendi facultas, nullum ardēs stu-  
dium poterit adipisci. Nō enim ea est, quæ aures permulceat,  
& sensus quasi titillet, ad animum autē minimē permānet,  
hominesq. nihilo meliores efficiat: sed ea, quæ magna quadā vi  
& impetu cōprimat impudentiā, frangat insolentiā, refrænet  
audaciā, & aduersarios cōturbet, & de ōni statu detorqueat.  
Ea iacentes erigit, languentes excitat, afflictos cōsolatur, hu-  
miles extollit, & studio gloriæ immortalis incēdit. Nō captat  
illa quidē hominum plausus: sed hominum salutē consulit: non  
consecratur immōdicas verborum venustates, sed mētes veris-  
simæ sapientiæ luminibus illustrat: non elaborata cōcinnita-  
te blanditur, sed sententiarum pōdere & grauitate pugnat,  
& quidquid efficere vult, diuinæ virtutis argumento confir-  
mat. Illius impetus cum spiritus diuini viribus incitatur, su-  
stineri non potest. Cum vos (inquit Christus) tradiderint, no-  
lite cogitare, qualiter, aut quid respōdeatis. Dabitur enim vo-  
bis in illa hōra quid loquamini. Nō enim vos estis qui loqui-  
mini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Hoc igi-  
tur eloquētiæ genere Petrus Iudæorū senatū, & populi mul-  
titudinē cōturbauit. Huius magnitudine Stephan⁹ immanes  
hostes exterruit. Huius magnificētia Paulus quāuis se im-  
peritū sermone dicat, nō enim fortasse is Socratis, aut Arist.  
præcepta degustarat, mundū sub Christi imperiū subiūxit, stu-  
dioq. diuinitatis inflāmauit. Spūs igitur sancti numine robur  
inuictū, sapiētiae lumē, pacis trāquillitas, lætitiæ magnitudo,  
beatæ vitæ cōstantia, status opibus diuinis & sempiternis cir-  
cumfluens, atq. postremo vis admirabilis eloquētiæ cōtinetur.

*At quis nobis hunc spiritum attulit? Cuius meritis & virtute tantas opes sapientiae consecuti sumus? Quis lumē hoc praetulit, quo notitiā patris, & filij, & spiritus sancti caperemus? Quis denique perfecit, vt hac luce diuini spiritus frueremur, animusque noster diuitijs & ornamentis diuinis afflueret? Christus certē Dei filius pro nobis in cruce, vt debita nostra dissolueret, immolatus. Quod sequēte libro magis aperiemus.*

*Vnde concluditur necessario verissimam sapientiam Christi crucifixi virtute, religione, sanctitate, numine, vi, potentia, contineri.*

## DE SAPIENTIA

## LIBER QVARTVS.



*VANT A sit sapientiae claritas & magnitudo, quam disciplina Christi in crucem pro generis humani salute sublatis omnibus qui se ad illius studium applicuerunt, impertiuit, satis explicatum arbitror. Si igitur Graeci sapientiam quærent, Christum audiant, illum admirentur, ad illius imitationem se conferant, & sic tandem ad eam sapientiam*

*pietiam peruenient, quam nulli vnquam Philosophi summis ingenijs, præstante doctrina, ardente studio consequi potuerunt. Quod si nihilominus adhuc in ea opinione sunt, vt Christianam Philosophiam stultitiae nomine condemnent, æquum esse arbitror, vt pluribus illis, si possumus, tantum errorem eripiamus. Quod vt commodius fieri possit, opus erit eorum argumenta prius explicare. Sic enim fortasse dicebant. Quomodo potest in hominis sapientis rationem cadere, vt credat illum hominem summi Dei filium esse, quem viderit inopem, contemptum, & abiectum, & afflictum, vulneribus præterea concisum, contumelijs laceratum, insignique dedecore & ignominia deformatum? Primum enim quid Dei filium impellere potuit, vt ita secum humanam naturam coniungeret, vt morti obnoxius fieret? Num vt hominum vitæ prospiceret? At contra naturam est, vt mors vitæ causam afferat: & is qui mortis atrocitatē à se minime propulsat, aliorum vitam constituat. Deinde cum Dei maiestas immensa & infinita sit, hominis autem natura vix quidquā humilius & fragilius cogitari possit, is homo qui statuit, Deum ita se abiectum, vt hominum gratia verus homo fieri vellet, multum de diuina maiestate detrahit, & sibi plurimum arrogat & assumit. Quo quid vel scelestius, vel insolentius dici potest? Numen enim diuinum ad nostras miserias transferre, facinus impium est: humanam vero naturam in diuina sede locare, superbum, nec vllō modo tolerandum. Deinde quæro. Deus non potuisset alia ratione quæ non esset dignitati illius indecora, genus humanum & sempiterna*

terna miseria liberare? Potuisset certè, si verum est potentiam illius nullo termino circumscribi. Non dico quã parum credibile sit, sic naturam diuinam cum humana coniungi, vt vtraq. in vnam personam coalesceret. Vt igitur id omittam qui cõuenit arbitrari, Deum maluisse hominibus cum dolore & cruciata, cum dedecore & ignominia, quam sine vlllo dolore, & sine vlla dignitatis imminutione consulere? An dedecus mediocre fuit, non dico in crucem tolli, non virgis concidi, nõ maledictis vexari, sed humanis necessitatibus seruire, & morbis vitæ communis implicitum distineri? Si temeritas igitur in Deum non cadit, & summa temeritas est malle quidpiam cum dolore & ignominia, quam cum gaudio & honestate moliri, verisimile profecto non est, Deum cum vtrum vis illi liberum fuisset, dolorem acerbissimum iucunditati, extremum dedecus honestati, sine causa prætulisse. Præterea quibus hominibus eo cruciata, & indignitate consultum esse voluit? Sapientibus ne? At hi paucissimi sunt, & si qui sunt, miseris opprimi non possunt. Si insipientibus dixeris, indignissimum est Deum pro insipientibus, qui sunt cruciata sempiterno dignissimi, tam acerbos dolores haurire. Postremo quod minus sapiens consilium cogitari potuit, cum supplicia sceleribus coercendis instituta sint, & homines præmijs ad honestatem alliciendi, & inuitandi, quam ijs, qui acre studium ad honestatem contulerint, supplicia proponi? At vos illis qui pietatem vnice coluerint, crucem exemplo Dei ipsius quem colitis ingenuè defixistis: nec aliam esse salutis viam, præ-

ter

ter eam quæ crucis studio continetur, asseritis. At si sensus, si cõmunem vitam, si rationem, si Philosophorum decreta cõsulimus, in crucẽ beatam vitã aspirare non posse videbimus. Nam et si fuere quidã qui contra disputarent, ij non argumētis tãtum eucti, sed omnium derisione delusi iam pridẽ siluerunt. Natura enim, quã optimã vitæ magistrã ducimus, hoc animis nostris in seuit, nullo modo fieri posse, vt qui doloribus summis afficitur, florens atq. beatus sit. At vos contra naturam in cruce vitã beatam ponitis. Summa igitur eloquentia, vobis opus est, vt sententiã sensibus, opinionibus, rationi, Philosophie, naturæ deniq. vniuersæ contrariã oratione confirmetis. Sed vos in hoc valde ridiculi estis. Cum enim incredibilia dicatis, nullum tamẽ acumen in differendo, nulla dicendæ lumina, nullas orationis opes adhibetis. Duplici igitur ratione summæ stultitiæ significationẽ datis. Nam & quod stultissimum est, fortissimè defenditis: & sine vllis eloquentiæ opibus stultitiæ defensionẽ suscipitis. Quis igitur vos audiet? Quis sequetur? Quis difficillimis decretis obreperabit? Quis voluptates aspernabitur, vt crucẽ subeat? Et his quidem argumentis, aut horum similibus Græcorum philosophia Christi crucẽ oppugnare nititur. Huius igitur inanis sapientiæ argumenta refellemus, & simul opes crucis explicabimus. Sed antequam id faciamus, de Græcorum sapientia pauca dicemus. Sapientia (vt stoici definiebant) est rerum diuinarum et humanarum scientia. Huius studium Philosophia nominatur. Est autem Philosophie munus, quid verum, quid rectũ, quid simplex sit, inquirere, et inueniũ mētē & ratioẽ cõplecti,

☉



& sapientiae verissimae decretis obtemperare. Nam cum ad  
 intelligendum, & agendum nati simus: vtrumque necessa-  
 rium est, vt veritatem intelligamus, & quod est nobis com-  
 modum & salutare omni studio consectemur. Itaque hoc  
 est Philosophiae propositum veritatem semper intueri, om-  
 niaque officia vitae ad summum bonum dirigere. Veritas au-  
 tem summa Deus est. Ille namque solus est iustitia con-  
 stans, immutabilis, atque sempiterna, iuris totius fons &  
 origo, rerum omnium parens, natura maximè simplex, vir-  
 tute tamen immensus, totius concretionis & compositio-  
 nis expers, semper idem, sibi in omni aeternitate simil-  
 linus. Qui verum igitur, & rectum contemplari desiderat,  
 Deum intueri desiderat. Finis igitur Philosophiae est Deū  
 cernere. Præterea studium sapientiae in humanae etiam na-  
 turae explicatione versatur. At humana ex diuinis nexa &  
 apta sunt. Non poterit igitur quisquam se exactè cognosce-  
 re, nisi mentem in Deum prius intenderit. Præterea quomo-  
 do poterit quisquam intelligere, quid sit extremum bonorum  
 omnium maximè naturae hominis accommodatum, nisi vide-  
 rit mente & ratione se ex diuina benignitate profluxisse: &  
 proinde non esse summum bonum ad aliud quam ad Deum  
 tanquam ad vitae principium referendum? Postremo ille solus  
 (vt Aristoteles ait) scire dicitur, qui res ex causis agnoscit.  
 Cum igitur Deus sit rerum omnium causa, omnis sapientia  
 in notitia illius consistit. Tres autem Philosophiae partes pe-  
 ripatetici statuerunt, vnam, quae in naturae peruestigatione  
 versaretur: alteram, quae de moribus & vita disputaret:

tertiam

tertiam, quae differendi artificium contineret, vt eo videlicet,  
 quid verum, quid falsum, quid consentiens, quid repugnans es-  
 set in oratione, iudicarent. At naturam speculari non potest,  
 nisi qui naturae conditorē mente cōtemplatus fuerit: mores il-  
 li solum rectè constituere licebit, qui omnia studia vitae ad  
 Dei legem reuocauerit: verum intueri non est concessum, nisi  
 ei, qui nunquam oculos à veritate sempiterna deiecerit. Quā-  
 cumque igitur partem Philosophiae attingere volueris semper  
 erit necesse, vt Deus in oculis & aspectu sit. Aliter enim in  
 ea commode versari non poteris. Vt autem ad tantum sapien-  
 tia gradum homines peruenirent, omnes Philosophiae partes  
 & artes etiam Mathematicas sibi perdiscendas esse statue-  
 bant, vt paulatim assuescerent animum à societate corporis  
 auocare. Erat enim illis persuasum qui multum reliquis in-  
 genio antecellebant, nihil esse veri, nihil expressi, nihil solidi  
 in rebus quae sensibus obiectae sunt. Omnia enim continenter  
 labi, & fluere, nec vlllo temporis momento consistere: sed in-  
 credibili celeritate ferri, & horis singulis atque adeo momē-  
 tis immutari. Vmbrae igitur, & imagines, & quasi quaedā  
 somnia res corporeas existimabant: proinde illis qui verum  
 cernere vellunt, esse mentem à sensibus abauocandam, & à cor-  
 poris contagione seuocandam, vt liceret ea quae constantia &  
 aeterna sunt, nec vllam sunt mutationem vllis seculis habitu-  
 ra, ipsius mentis oculis vsurpare. Vnde etiam colligitur, sa-  
 pientiae munus & officium esse Deum cognoscere, illiusque  
 sanctissimum numen integra, pura, & casta mente venerari,  
 & omnes curas & cogitationes ad gloriam illius dirigere.

Artes



Artes vero reliquas sapientiã minimè continere, sed esse gradus quosdam, & adminicula quibus erectæ mentes ad sapientiam facilius aspirarent. Ergo etiam secundum Græcorum sententiam, qui Deum nouerint, sapientes appellari merito possunt: qui vero sine Dei cognitione in alijs artibus versantur, non sapientes, sed laboriosi, & infelices, vt sunt omnes qui rerum magnarum cupiditate flagrantes in illis comparandis omnem vitam sine vlllo fructu cõsumunt. Hæc cum ita sint, consequens est, vt videamus num antiqui Philosophi qui tantum munus animo complexi sunt, sapientiam, hoc est Dei notitiam consecuti fuerint. Non prorsus. Imo plerique in ipso statim philosophandi principio à sapientiæ certissima ratione desciiuerunt. Primus enim eorum lapsus fuit, Dei numine relicto, alias rerum causas speculari. Itaque dum orbi diuina luce mentem in naturæ rationem intendere conati sunt, vt quæ fuerint initia rerum, quæ mûdi totius origo, perspiceret, nihil tam absurdum fingi potest, quod non effutirent. Quod autem de illis Socrates iudicium fecisset, Xenophon luculenter exponit. Dicit enim Socratem solitum fuisse Physicos (sic enim qui naturam rimari conabantur appellati sunt) vehementer admirari, qui quasi iam humana omnia explorata penitus habuissent, ita rerum diuinarum rationes indagare, & perscrutari volebant, & in rebus illis cognoscendis, quæ erant ab humana cognitione remotissimæ vitam frustra contrebant. Quam inanis autem eorum conatus esset, ex eo colligi, quod ij qui naturæ cognitionẽ sibi insolētius arrogabãt, ita inter se dissiderent, vt non multum à furentium temeritate,

tate, & insania distarent. Sunt enim (dicebat) insani, qui valde metuenda non timeãt: sunt rursus alij, qui minimè metuenda pertimescant. Multos non pudet in publico pudenda facere. Alios rursus pudor tenet, ne in hominum conuentum venire audeant. Sunt qui neque templum, neque aram, neque quidquam sacrum, aut religiosum honore dignum arbitrentur: alij contra quibusuis lapidibus, atque lignis honores diuinos habent. Horum similes Philosophi sunt. Alij enim omnia vnum esse contendunt: alij vero res multitudine infinitas esse statuunt. Sunt qui omnia perpetuo moueri dicunt: alij rursus nullum esse in rebus motum asserunt. Quidam omnia oriri, & occidere dicunt. Alij contra nihil ortum esse, aut interiturum confirmant. Præterea dicebat idem Socrates, nimis stultum esse id summo studio & cura perquirere, quod nullum fructum erat studiosis allaturum. Nūquid (aiebat) quemadmodum ij qui artibus humanis incumbunt, ideo illis operam dant, vt vel sibi, vel alijs aliquod artis ipsius opus efficiãt, ita isti confidunt, se opera similia illis, quorum rationes peruestigare nituntur, veluti ventos, vel aquas, vel temporum distinctiones effecturos? His quidem & alijs eiusmodi argumentis Socrates (vt Xenophõ auctor est) Philosophos irridebat. Quanta eorum varietas & inconstantia fuerit, & in quanta inantitate versarentur, dici vix potest. Quidam aquæ, alij aëri, alij autem igni rerum originem tribuebant. Anaximander corpus aliud infinitum, ex quo omnia fierent excogitauit. Democritus infinitum inane, & atomos innumerabiles, huc & illuc temere concursantes, & fortuita copulatione & adhesionem omnia

omnia conficientes effinxit. Empedocles quatuor elementa, & litem, & amicitiam principia rerum omnium fuisse constituit. Omnes hi, & alij quam plurimi quos causa breuitatis omitto, eam siluam atque materiam rerum quam somniantes allucinabantur, ex qua omnia facta fuisse putabant, vt rerum omnium causam inducebant: opificis autem, qui eam materiam informaret, nomen quasi nihil opus fuisset arte, consilio, & effectione, miro silentio præteribant. Merito igitur Plato in libris de legibus de illorum temeritate & impietate conqueritur. Illorum namque opera religionem apud multos euersam dicit. Sublata vero religione, neque leges, neque iudicia, neque mores constitui posse. Nam vbi numinis metus animos minimè continet, parū leges & ciuilia constituta proficiunt. At qui Deum mundi conditi gloria spoliat, Deum de mundo tollit. Hac autem opinione constituta, metuque sanctissimi numinis sublato, nullum tātum facinus erit, quod non passim ab omnibus, vbi primum sceleris occultandi, aut iudicij eludendi spes oblata fuerit in aliorum perniciem suscipiatur. Huic autem tam sceleratæ opinioni ingentem materiam Physicos præbuisse Plato cōfirmat. Sic enim (vt ait) illi statuebant, omnia quæ sunt vel naturæ vi, vel casu, vel artificio facta fuisse. Et opera quidem vehementer illustrata naturæ, atque fortunæ, minima autem arti & consilio tribuebant. Cælum namque, ignem, terras, & maria, sidera, & reliqua omnia quæ cernimus in mundo vi naturæ ratione carentis, & temerario concursu facta fuisse dicebāt. Cum enim ita casus tulisset, vt calida frigidis, arida liquidis, dura mol-

libus,

libus, grauiā leuibus aptè coniungeretur, tum cælum, & astra, & animantia, & has rerum omnium formas quas videmus extitisse. Artem vero humanā naturæ vim imitari, & inanes quasdam rerum imagines & formas efficere. Homines autem non artificio factos, sed ex se artificium peperisse. Ea igitur opera, quæ arte constarent, cum essent ab hominibus facta, longe inferiora esse illis, quæ natura nihil sentiente constititerant. Operibus autem hominum artificio constitutis religionem & Deos annumerabant. Prudentium namque cōsilio factum esse, vt hominum cupiditates numinis metu frænarentur, vt cuncti mortales opinarentur esse quandam vim diuinam omnia contuentem, & animaduertentem, & pro cuiusque vitæ ratione, vel præmium, vel supplicium, iudicio relictissimo constituentem. Re autem vera non ita esse, sed vim diuinam aut non esse, aut ab ea res humanas minimè curari, aut facillimè muneribus à puniendo maleficio deduci. Hos in eo loco Plato redarguit, & tam impiam, & sceleratam opinionem plenissima grauitatis & acuminis oratione conuellit. Horum disciplinis imbutus Diagoras Deum esse negauit. Horum opinionibus infectus Protagoras, an aliquod esset numē diuinum, impie dubitauit. Hos secuti multi sunt quorum vita, quam parum illi credāt Deum mundi principatum tenere, sceleribus infandis ostendit. Pythagoras Samius omnia rerum principia ad numeros reuocauit. In quo quidē propius iam ad Dei cognitionem accessit. Numerorum enim ratio solertiæ firmissimum continet argumentum. Fieri enim nequit, vt in rebus quæ casu fiunt, omnia ad numerum aptè  
m cadant.

cadant. Qui igitur numeros in natura constituit, mentem & consilium, non temeritatem in rerum dominatu collocat, omniaque mundi opera singulari conditoris artificio facta fuisse confirmat. Is igitur, & omnes illius discipuli religionem coluerunt, & Deum naturæ parentem venerati sunt. Multa tamen illius errata fuere, quæ disciplinæ pulchritudinem contaminarunt. Anaxagoras similitum partium infinitatem, & mentem concretionem, & secretionem res omnes quæ natura constant, efficientem induxit. In quo quidem magnam spem illis qui sapientiæ studio flagrabant, attulit. Nam si omnia mente facta fuisse constaret, casus erat continuo à mundi fabrica & ratione repellendus. Reliquum igitur erat, ut homines studiosi in singulis rebus intuerentur diuinæ mentis artificio: & intelligerent nihil fieri in eo genere posse præstantius: & sic tandem admirabilem Dei sapientiam ex operibus illius agnoscerent. Conatus quidem fuit egregius: exitus tamen infelix, & ærumnosus omnium spem turpissimè sefellit. Omnia siquidem sermè naturæ opera ad materiam, & partes illas simillimas reuocauit, & pauca admodum menti faciendæ & procuranda reliquit. Nescio enim qua temeritate sunt impulsivi homines, qui multum ingenio confidebant, ut cùm naturam se studiosissime sequi dicerent, & omnes naturæ partes hanc vnâ vocem mitterent, esse quendam rerum omnium parentem, & dominum qui omnia à principio immensa potentia creauisset, ordine singulari distinxisset, & opere mirabili perpolitâ coerceret, atq. moderetur, hanc sapientiæ viâ quasi nimis tritâ atq. peruulgatam aspèrnatî rudè materiâ,

eamq.

eamq. minimè certa ratione constitutâ admodû fœrenter amplecteretur. Quod perinde erat, atq. si quis in Praxetilis, aut Myronis signo non opificis artificio, sed æs, aut lapidè, ex quo signû factum fuerat spectâdum existimaret: aut in Apellis tabula nō pulchritudinē operis Apelli, sed coloribus ascriberet. Nec etiâ illud viderunt nullum opus pulchrū esse posse, quod nō artificio cōstaret. Ergo cum nihil esse mundo pulchrius animaduerneret, summū certè cōditoris artificio admiri debuisse. Quid quod in mundi opifice nō solum mentem & rationē qua materiâ informauit, & tam varias & multiplices ex illa formas effecit, aspiceret, verū & potētiam qua materiâ ipsam cōdidit, intueri potuissent. si vidissent nō posse illius potētiam termino vllō circumscribi? Quod tantum absuit, ut faceret, ut cū pauci cōditoris mētione faceret, omnes sempiternâ materiâ fuisse fingeret. Sic factum est, ut dū materiæ æternitatē, atq. adeo diuinitatē darent, multi occasione arriperet sceleris infandi, quo duo principia finxerunt, vnū bonorū, alterū vero malorum, quod maximū fuit errorū, & scelerum seminarium, & maximas clades in res humanas inuexit. Quid quod multi, ut magis ostēderent ad mundi fabricâ non opus fuisse ratione, mundos innumerabiles oriri, & occidere singulis momentis assererebant? Quid quod alij hunc eundem mundum sæpius oriri, & occidere, & rursus instaurari, atque renouari, & hanc vicissitudinem in omni temporum æternitate conseruari statuebant? De natura autem diuina, quanta erat inter illos qui religione aliqua tenebantur, dissensio? Alij namque Deos innumerabiles, alij paucos

admodum, & eos alij quidem otiosos, alij laboriosos, & certis muneribus districtos affirmabant. Non pauci mundum animantem, & Deum fingeant: solem & sydera in sede diuina collocabant. Quid de ultimo & extremo rerum omnium expetendarum sermonem faciam? Quanta erat inter illos disceptatio? Et ita cum nullus illis certus finis esset, in quem respicerent: nulla certa eis officiorum ratio constabat. Quod si non mediocri sapientie fructus est egregia morum descriptio, animorumque grauis & sapiens moderatio, & placidissima pacis constitutio, quomodo non sunt illi stultissimi iudicandi, qui se flagitio & turpitudine contaminarunt, & in omnium se flagitiorum colluionem eiecerunt, & quorum animi secum intra se turbulentissimè dissidebant? At constat maximam eorum partem qui ingenium venditabant, & nomine sapientie elati, & inflati reliquos homines præ se cõtenebant, flagitijs infamem fuisse, turpitudinisque suæ ubicumque pedè ponerent, impressa vestigia reliquisse. Itaque varijs animorum motibus conflictati, & libidine, & ambitione furentes saepe res suas insita temeritate, & audacia peruerterunt. Solutus Socrates illis priscis temporibus natus beneficio diuino videtur, ut sophistarum insolentiam frangeret, modestiaque sua multorum superbiam, qui sibi sapientiam arrogabant, oratione comprimeret. Is primus philosophiam à naturæ peruestigatione ad mores & instituta vitæ traduxit: & summus, ut temporibus illis, virtutis magister extitit. Qui tamen cum se nihil scire dicit, multis in locis hæret, & dubitat, & rebus verisimilis res commentitias admiscet, & ut nihil aliud dicam, si

vere

vere eam illi Plato opinionè attribuit, Pythagoram secutus varias & infinitas animorum è corporibus in corpora migrationes perpetua oratione comprobauit. Qui ex illius doctrina profecti sunt, mirum est, quantum inter omnes excelluerint: non tamen ita, ut sapientes appellari possint. Non enim dignam de Deo sententiam habuerunt, ingenitamque materiã sine vllius conditoris numine & beneficio ad mundi fabricam contulerunt, & virtutis pulchritudinem nonnullis maculis inquinarunt. Aristoteles quamuis esset Platonis auditor ab illo desciuit, & mundi principium negauit, & de animorum immortalitate adeo obscure differuit, ut quid sentiret dubium valde reliquerit. Præterea non explicitè an Deus quemadmodum vniuersitati prospicit, rebus singulis prospiciat, definiuit. Quarquã si liber ille qui de mundo, nomine illius inscribitur, illius est, non obscure rerum singularum providentiam sustulit. Sed quorsum hæc tam multa de priscis hominibus, qui sapientie operam dabant, in medium attulimus? ut melius considerari posset, Græcos qui in Christiana disciplina sapientiam requirunt, in summa dementia versatos fuisse. Ut enim nihil aliud dicamus, cum sapientia sit in Dei cognitione posita, Græci vel Deum esse negabant, vel illum rerum humanarum curatione priuabant, vel illius potentiam & numen in angustum contrahabant. His explicatis consentaneum est, ut eorum argumētis respondeamus. Quid, inquit, Deum mouere potuit, ut homo fieri vellet? De qua re primum dubitas? De potestate? An de probitate? An de cõuenientia? Potestas quidè, ut de illa primum loquamur, est immensa,

m 3

neque

neque potest ullis finibus coerceri, aut viribus impediri. Ingenio minime consequi possum, inquis. Num quemadmodum cælum factum fuerit, fuisti ne iam ingenio cōsecutus? Quæ potestas illi fuit, quæ astris splendorem, soli claritatē, lunæ vim & efficientiam largita sit, mente & ratione consequeris? Nō certè. Et tamen ita disputas, quasi sit necesse, id cuius vim ratione comprehendere nequis, non esse. Quasi vero tu in rebus etiam minimis vim diuinæ providentiæ possis quanta sit, animo perscrutari, & inspicere. Cælum, sydera, terras, maria naturæ pulchritudinem & concinnitatem, variam & prope modum infinitam animantium multitudinem præcreamus, & de rebus minimis loquamur. Poteris ne vim & solertiam, diuinæ mentis in formicarum fabrica considerare? Cernis ne in illis virium pro corporis ratione magnitudinem. Num earum conuictum & quasi reip. societatem? Num motum & alacritatem, & ad depellendam famem admirabilem providentiā? Quod si nec in minimis rebus quanta fuerit vis & potentia summi rerum omnium conditoris intueri potes, quomodo opus omnium maximum & admirandum ratione & ingenio consequeris? quod si ingenio tuo diuinæ potentiæ magnitudinem metiri velis, concidat emne cælum: astra ruant: terra desideat: natura vniuersa funditus intereat opus est. Neq. enim vlllo modo consequi ratione potes, quomodo hæc omnia à Deo constituta sint, eiusq. numine cōhereāt & permaneant, naturæq. suæ statum in omni rerum varietate conseruent. Non igitur vllam vim habet argumentum ab ingenij stultissima confidētia ductum. Si enim ex eo quod nō

aliquid

aliquid intelligis, sequeretur illud de quo dubitas nō esse: nihil omnino esset, quando constat te nullius omnino rei earū quæ à Deo factæ sunt, rationem comprehendere posse. Et quo minus quæque res intelligitur, eo magis cernitur eam fuisse Dei consilio perfectā. Quid ergo? De probitatis immēsitate dubitas? An ea (vt de potētia dicebam) finibus ullis arceri potest? An terminis ullis cōcluditur? An parum cōstat, neq. potentiā à probitate superari, nec à potētia probitatē? Restat igitur, vt quantū & potentiæ & probitati conueniat videamus. Id, inquis, deo minime decorum est. Fuisset quidē parū decorum, si hoc opere fuisset maiestas illius imminuta, aut numē illius de statu cōuulsus. At cum nihil omnino sit, quod maiestatē, quod statum & dignitatē summi atq. sempiterni numinis cōuellere, aut imminuere, aut immutare possit, tantum abest, vt hoc tā diuinum beneficium Dei gloriā obscurare potuerit, vt eā multo clarius illustraret. Tunc enim Dei gloriā illustrari dicimus, cū ex illius operibus probitas illius immēsa perspicitur. At neq. cæli & terræ fabricatio, neque conditæ naturæ conseruatio, neq. mundi totius imperium & administratio, neq. innumerabilia beneficia in genus humanū collata tantā significationē diuinæ probitatis effecerunt, vt sint vlla ex parte cum hoc tā diuino beneficio comparanda. Si igitur quo beneficium amplius est, eo magis probitatē in oculis & aspectu proponit, & quo magis probitas extat & eminent, eo gloriæ lumen clarius splēdet, quid esse magis perspicuum potest, quā eo opere quod Deo indecorū dicis, gloriā Dei fuisse non apud homines modo, verum etiā apud cælestes infinitis, si ita loqui

*fas est accessionibus amplificatā? Potest ne fieri, vt quod gloriā illustrat, indecorum sit, cum gloria à decore & dignitate distingui non possit? Sed, inquis, si potestas Dei est infinita, quid illum impedire potuit, quominus quauis alia ratione hominum vitæ consuleret? Nihil sane. Sed cum Dei perfecta sint opera, minimè illius sapientiæ & probitati conueniebat, vt opere clariore neglecto, opus minus clarum & amplum susciperet. Cum dedecore tamen inquis. Quid tandem dedecus appellas? Vidisti ne Christi virtutem percussam, & abiectam? constantiā de statu deturbatā? honestatis lumen extinctum? aut vllam flagitij maculam tantis diuinæ virtutis ornamentis inustam? An tu aliquod dedecus esse putas, nisi quod est cum flagitio, turpitudine, & impuritate cōiunctum? Si rectè Philosophiam colis, illa te docere poterit, nullum esse dedecus, præter turpitudinem: nullum decus præter honestatem: supplicia virtuti dignitatem eripere non posse: illius autem decus & robur inuictum illustrare posse. Quo enim vehementius virtus oppugnatur: eo clarius quantum sit illius numen ostenditur. Contemptus tamen, inquis, & abiectus, vulneribusque deformatus, & in crucem sublatus fuit: multitudoque illum mœrentem aspexit, & tamen vos neque huius tantæ humilitatis pudet, neque tantæ imbecillitatis indicium taciturnitate comprimitis. Cōtemptus quidem ab hominibus scelestissimis qui bellum cum diuina lege continēter gerebāt: non à patre qui illum in amplissima diuinitatis sede locauit. Quo autem magis illum homines impurissimi contemnebant & plagis cōcidebāt, & omni crudelitate lacerabāt, eo maiore*

*& ampliorem illi sempiternæ gloriæ segetem suppeditabant. Nam improbitatis odium virtutem insignem facit. Et præterea virtus tum maximè enitescit, cum maxime in illam perditorum hominum furor incurrit. Cum igitur perspectum fuisset, neq. probra & cōiicia, neq. inflicta vulnera, neq. intolerandos dolores, neq. acerbissimi cruciatus, atrocitatem potuisse virtutem illius infringere, non ne constat diuinā virtutem illius extitisse? Imo, inquit, virtus illius fracta & debilitata fuit. Lacrymis enim atq. luctu, se plane dolore victum esse declarauit. O peruersum de virtutis ratione iudicium. Lacrymæ enim doloris indicium continēt, non victiæ virtutis argumentum. Dolor enim ex imbecillitate naturæ lacrymas elicit: virtus autem eo clarior est, quo dolor est acrior, & natura corporis imbecillior. Lacrymæ igitur non afflictam virtutem, sed virtutis insignem victoriam demonstrant, quæ tanto illustrior est, quanto fuit hostis virtutis ipsius robore superatus vehementior. Non pudet igitur nos lacrymarum quæ dolorem pro nobis susceptum declarāt: quæ societatem humanæ conditionis indicant: quæ clementiam nostri liberatoris erga nos magis claram & illustrem reddunt. Nō enim ita magnū nobis beneficium attulisset, si pro nostra salute acerbos dolores minimè pertulisset. Non enim is fuit, qui stoicorum vel immanitatem, vel stuporem, vel indolentiam moribus & disciplina cōprobaret: & sensus humanitatis nō re, sed orationis ostentatione extorquere cōtenderet: sed qui doceret, qua vi & ratione de sensibus victoria obtineri posset. Præterea idco lacrymatus est, vt lacrymas nostras abstergeret: quæadmodum*

& mori voluit, vt nos à morte sempiterna redimeret. Id, in-  
 quis, natura nō patitur, vt mors viuendi causam afferat. Si de  
 communi vita loqueris, ne vita quidē hominum potest mortis  
 impetum ab aliorum hominū vita repellere. Si de potētia di-  
 uina disseris, parum quātum sit illius numē attēdis. Deus est  
 qui vitā eripit, qui ereptā restituit, qui principes summos è so-  
 lio detrudit, qui homines humi stratos in cælum extollit, qui  
 voce tantum & imperio ea quæ non sunt, esse, vigere, sentire  
 cōpellit. Vita, mors, salus, interitus illius numine continetur.  
 Itaq. vt pater optimus, vt princeps clemētissimus mortis suæ  
 meritis atq. virtute pro filijs atq. subditis admodum libēter  
 oppetit, viā omnibus, qui illum sequerētur ad immortalitatē  
 muniuit. At, inquis, hominum causa quibus nihil est in vita  
 fragilius tantum facinus edidit? Verum. Et quo est eorū na-  
 tura fragilior, eo clementia illius præclarior est, quæ genus ho-  
 minum è luto fictum, & in terrā depressum, atq. demersum  
 excitauit, & ad certissimā spem cuiusdā diuinitatis erexit.  
 Nunquā ne tibi in mentē venit admirari illum ipsum domi-  
 num cælum, terras, ignē, maria & omnes deniq. naturas quæ  
 cæli ambitu cōtinentur, hominum causa cōdidisse? Non enim  
 sibi qui nullo domicilio, vt cōmodius habitaret indigebat: non  
 Angelis qui mentes purissimæ sunt, neque sedē vllam corpo-  
 ream in qua locati sedeant requirunt: sed hominibus tantum  
 quos solos ex omnibus animantibus imagine suæ mentis illu-  
 strauit, mundum clarissimis luminibus distinctum, & varijs  
 opibus instructum, & ornatum fecit, & opere admirabili per-  
 poliuit. Et tamen ijsdem argumentis, si tunc cum mundum

adi-

edificauit in consilio fuisse adhibitus, vi potuisses. Homi-  
 num causa quibus nihil est fragilius, tantum & tam præcla-  
 rum opus effecit? Argumentum quidem magnam vim habet,  
 ad clementiā summi domini celebrandam: non autem ad opus  
 clementiæ ipsius labefactandum. Tanto enim beneficium mi-  
 rabilius est, quanto illi quibus affertur minus illo digni sunt.  
 Præterea noluit ille clementissimus dominus, vt homines quos  
 ad sui imaginem finxit, & quibus terrarum imperium dele-  
 gavit, ita se in terram abijcerent, vt non mentes ad ortus sui  
 principium frequenter excitarēt, Deumq. parentem agnosce-  
 rent. Qui enim ita se propter naturam mortalem contēnunt,  
 vt nihil immortale atq. diuinum moliantur, hi brutis animā-  
 tibus annumerandi sunt. Insitæ namq. dignitatis obliuiscun-  
 tur, nec intelligunt se esse ad imperium natos. Quamuis enim  
 corpore sint fragiles, & imbecilli: mente tamen & ratione  
 qua nihil est in omni natura præclarius, immortales, atque  
 diuina quadam forma præditi sunt. At homines contra natu-  
 ræ præstantiam, immemores officij, immemores laudis & ho-  
 nestatis, à Deo penitus auersi se se libidini & impuritati  
 dederunt. Itaque pater optimus rationem iniuit, quem-  
 admodum homines quos magnitudine regie dignitatis, &  
 amplissimæ dignitatis exornat, terras intueri desinerent:  
 & supera atque cælestia cogitarent: vt ita possent ipsius  
 patris summi beneficio in statum vnde conciderant, cum  
 amplificata dignitate restitui. Ad quod efficiendum nul-  
 lum remedium conuenientius adhiberi potuit, eo quod Dei  
 filius adhibuit. Cum enim homo fieri voluit, vt nos secum

fædere



fœdere sempiterno coniungeret, cum pœnas nostris sceleribus debitas ipse luit, vt diuino iudicio satisfaceret, cum pro omnium salute sanguinem profudit, vt omnes sacris sanctissimis expiaret, immensæ potentie, sapientie, iustitie, probitatis monumenta constituit, quibus nos amore tantæ benignitatis incenderet, & studium iustitie acriter incitaret. Itaque nec audaces sumus, cum Deum hominem factum fuisse confitemur: in eo enim opere illius immensam potentiam, & infinitam clementiam admiramur: neque superbi & insolentes, non enim salutem nostram meritis nostris, sed magnitudini immensæ illius benignitatis ascribimus: & simul dignitatem nostram quam scimus esse sanguine diuino constitutam, multo acrius & diligentius nobis tuendam esse iudicamus. At, inquis, crucis species horrorem inquit, & homines à studio pietatis abluat. Non vides igitur (ô Philosophè) quantū sit in Christo numen atque potentia? Nam contra naturam crucis, Christi numine factum est, vt crux non exterrearet homines, sed eos ad se acriter atque vehementer alluciat. Qui fieri enim potuisset, vt humanum genus cum natura ad voluptatem propensum sit, & dolores extimescat, repente voluptates aspernaretur, atq. dolores contemneret, nisi illud vis diuina ad tã præclarū facinus impulisset? Cernis innumerabilem multitudinem virorum, mulierum, virginum, & puerorum pene infantium ad crucis societatem inflāmati animis aspirare, dolores contemni, cruciamenta negligi, sanguinem profundi, summamque gloriam in cruciatibus summis constitui, & dubitas quin tam diuina constantia à

diuina

diuina virtute profluxerit? Quid enim eos ad Christum allexisset, nisi lux diuina mentibus oblata, diuinaque sapientie decreta, diuini spiritus afflatu & impulsu percepta, cognita, & constituta? Num voluptates, vitæque lenocinia, & blandimenta? At fateris illis pro vitæ delicijs supplicia constitui. Num eloquentie admirabilis vis & amplitudo? At tu eorum magistris hoc quasi probrum obiectas, quod fuerint infantes, & artiū humanarū prorsus imperiti. Quid ergo aliud esse potuit præter vim diuinam, quæ animos cælesti luce completos ardore pietatis inflammat, vt in doloribus summis summum virtutis præmium in hac vita collocarent? Quæ eloquentia Plato vir Græciæ sapientissimus fuerit eius monumenta declarant. Magnus præterea virtutis magister extitit, incredibilique semper studio elaborauit, vt homines ad virtutem cupiditate verissimæ laudis incēderet. Athenis, cum nihil proficeret, relictis, Ægyptum, Sirenem, Siciliam, Italiam, vt inueniret cui virtutem traderet, peragrauit. Si virtutis opinio valuisset, nemo fuit illis tēporibus virtutis opinione præstantior. Si eloquentie viribus insitæ penitus opiniones euelli potuissent, nemo fuit Athenis quæ ciuitas eloquentiā aluit, ad summumque perduxit, qui Platonem eloquentia superaret. Præterea non labores ingentes & cruciamenta proponebat, sed homines ad virtutis studium virtutis ipsius illecebris inuitabat. Sed quid tãdem effecit? Quæ vitia sustulit? Quas libidinis fibras amputauit? Quam remp. cum valde cuperet, moribus & institutis rectè constituit? Nullam prorsus. At nostri homines barbari, & inculti, atque totius doctrine pol-

litoris



litoris ignari, mundum immutarunt, & à vitæ flagitijs ad studium religionis, atq. pietatis, & iustitiæ traduxerunt, & homines innumerabile stato virtutis robore munierunt, vt præ verissimæ dignitatis studio mortē & cruciatum contēnerent. Vnde colligitur id tantum opus diuinæ virtutis atq. sapiētiæ præsidio perfectum & absolutum fuisse. Libenter autem à Græcis audierim, cum multi homines olim sapiētiæ studio flagrantes in decretis suis vitā beatam ponerent, num illorum quispiā pro decretis suis vitā in summum discrimē induxerit? num mortē, vt constantiæ testimonio disciplinæ suæ fidē cōfirmaret, oppetendam existimavit? num vt alijs salutarē disciplinam traderet, cum vitæ periculo pestiferas opiniones ex animis euellēdas susceperit? Non certē. Aut enim id quod sectæ tuendæ gratia disputabant, minimē sentiebant: aut infirmum sensum decretis suis adhibebant: aut hominum salutem ad se pertinere minimē putabant. Si decreta sua minimē vera credebant, fallaces, si infirmum assensum illis adhibebant, opinatores, si salutem hominum negligebāt, inhumani, & nullo modo sapientes erāt appellandi. Non enim fieri potest, vt aliqua virtutis & honestatis pars à veræ sapientiæ studio se iungatur. Vbi igitur vel pro veritate mendacium, vel pro cōstantia fluxa fides, vel pro studio salutis communis immanitas in vita dominatur, ibi nullus omnino locus sapientiæ veræ relinquitur. Cum vero contra videris innumerabiles homines pro Christi fide, sanctitate, religione vitam in tormentis libenter abijcere, non tandem intelliges, eos qui sapientiæ nomen captabant, insipientes fuisse: & eos qui minimē sapientiæ

nomen

nomen arrogabant, diuinæ sapientiæ compotes extitisse? Vt enim opinionis imbecillitas & inconstātia est vanitatis, & falsæ sapientiæ comes, ita constātia est semper cum sapientiā vera coniuncta. Ergo cum nulla maior vnquam, non dicam in vllis genibus, sed in illis etiam viris, qui summa ingenia ad exquisitam disciplinam contulerunt, constantia in fide retinenda perspecta fuerit ea, quā Christiani in cruciatibus retinebant, dubium esse poterit, quin illi soli sapientiā consecuti fuerint? Quod minimē mirum est. Cælum enim semper spectabāt: numinis opē noctes & dies implorabāt: virtutis diuinæ magnitudinē sibi adimitandum proponebant: Christi meritis innixi supra sydera sublimes efferebantur: diuinæ mentis agitatione beatorum regionem peragrabant: diuinæ mentis speciem, quoad licet & fas est, in hac vita mentis oculis usurpabant: amore tantæ pulchritudinis incensi ferebātur: colloquio diuino iucundissimē fruebantur: eamq. à Deo doctrinam capiebant, quā nullum humanum ingenium fuit vnquā flagranti studio consecutum. Ergo cum eorum fides nō esset hominum auctoritate nixa, sed diuini spiritus testimonio confirmata, mirum videri non debet tantum esse nationis Christianæ robur, vt eam nemo possit de statu conuellere. Habet enim hoc omnis homo qui semel se se ad Christi studium ardentem applicat, vt quamuis cernat omnes homines diuersam ab illo sententiam sequi, & omnibus ob eam causam mortalibus, vt homo demens, & communis sensus ignarus ludibrio sit, & illum cuncti vt furiosum & insanum fustibus insequantur, ipse tamen constans, erectus, &

excel-

excelsus in omni rerum discrimine, & malorum omnium tempestate permaneat. Ipse namque sibi veræ sapientiæ conscius erit, & reliquos homines temeritate & amentia condemnabit. At hoc, inquit, summæ temeritatis est, cum ab omnibus dissentias, tibi vni sapientiam insolenter assumere. Esset quidem, si ingenium suum omnibus ingenijs anteferet. Quod tantum abest, ut faciat, ut naturam suam contemnat, atque pro nihilo putet. Cum vero non iudicium suum, sed diuinum testimonium hominum vagis & errantibus opinionibus anteponat, sapientis hominis officium facit. At Deus est qui in Christianorum animis insidet: qui eorum mētes illustrat: qui Christo testimonium dat. Qui credit (inquit Ioannes) in filiū Dei, testimonium habet in semetipso. Hoc autem satis experimur, cum expiati ab omnibus flagitijs, inflammati rerum celestium cupiditate logius extra corpus excurrimus, ut cum Deo animo soluto atque libero colloquamur. Tunc igitur diuina responsa percipimus: specie diuinæ pulchritudinis incendimur: miroque desiderio illius, & ardenti cupiditate flagramus: & lacrymas cum admirabili iucunditate profundimus: & admiratione etiam interdum defixi vehementer obstupescimus. Hoc igitur qui sentit, & percipit, & cum maximo fructu sæpius experitur, qui voces diuinas intra pectus accipit, qui diuini spiritus ductum & imperium sequitur, qui ad firmam spem immortalis gloriæ diuinæ mentis viribus excitatur, quomodo potest, aut hominum errante iudicio commoueri, aut corporis doloribus à mentis statu demigrare? Ergo si nemo sapiens est, nisi quem Deus erudit, & ipsi quoties nos

ipfos

ipfos à corporis consuetudine seuocamus, ut Deum puro animo contēplemur, perfectē sentimus nos cælesti disciplina diuinitus admoneri, nonne satis constat, eos solos esse sapientes qui Christi crucem subierunt, & se se in illius studium qui cruce configi pro nobis voluit, ardenti animo contulerunt? Neque enim sumus verbis eloquentia humana ad persuadendum concinnatis impulsī, sed spiritus diuini vocibus incitati. Quo circa mirandum non est, ab ijs qui Christū sequuntur, sperni voluptates, contemni dolores, vitæ commoda pro nihilo duci, eorumque animos cupiditate diuinitatis inflamari. Dei enim monitis & institutis in vita diriguntur: ope diuina muniuntur: ad Deum sensu voluptatis admirabilis alliciuntur: & idcirco minimè vllis hominum viribus, aut insidijs possunt à Dei coniunctione diuelli. Quis nos, inquit Paulus, poterit separare à caritate Christi? Num ærumna, aut angustia, aut afflictio, aut fames, aut nuditas, aut periculum, aut gladius? Quemadmodum scriptum est, Propter te quotidie morti tradimur, & quasi oues cædi destinatæ ad mortem ducimur. Sed in his omnibus victoriam consequimur ope illius, qui dilexit nos. Certus enim sum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque aliquid aliud poterit nos separare à caritate Dei, quæ est Christi Iesu domini nostri virtute confirmata. Hæc quidem Paulus, non verbis tantum, sed multo etiam clarius factis ostendit: idem reliqui omnes qui vestigijs illius institere, fecerunt: similique virtutis constantia, dolores & supplicia

n

pertu-

pertulerunt: & vsque ad extremum vitæ spiritum inuictō animo pugnauerunt: vt eam coronam adipiscerentur, quæ est omnibus qui pro fidei sanctitate dimicauerint, in cælo propōsita. Quæadmodum Paulus ipse dicit. Bonum certamen certavi: cursum consummaui: fidem seruaui: quod reliquum est, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus. in die illa iustus iudex: non solum autem mihi, sed omnibus qui diligunt aduentum eius. Audis verissimæ sapientiæ vocem, diuinæ constantiæ testimonium, virtutis robur inuictum, & dubitas quin animus tam diuinis opibus instructus possit à se omnes impetus hostiles reprimere? Quis autem hanc viri diuini virtutem exag gerauit? Quis illius statum tam firmo præsidio muniuit? Quis animum illius tantis opibus instruxit, vt eum nullæ vnquā tempestates conuellerent? Christi crux est illa quæ animos excelsos & inuictos efficit, & cupiditate immortalitatis incendit. Non igitur crux, vt dicebatis, exteret: sed allicit, & inuitat, studiumq. pietatis inflammat. Cum sublatu fuerō, inquit Christus, à terra, omnia traham ad me ipsum. Christus igitur actus in crucem, hunc ardorem in animis incitauit, vt multi crucem omnibus opibus, & emolumentis, & voluptatibus longe prætulerint. Et quo minus huius tantī miraculi rationē perspiciatis: eo clarius apparet, hoc amoris incendium esse diuinis viribus excitatum. At illud argumentum quod sequitur leuissimum est. Deus aut propter sapientes, aut propter insipientes naturam humanā assumpsit, vt mori pro omnibus posset. Sapientes autem omni miseria vacabant: insipientes erant pœnis non muneribus afficiendi:

nulla

nulla igitur erat causa cur homo fieri vellet. Si ad hunc modum argumentari licet, sic etiam rationem concludam. Aut Deus propter sapientes mundum ædificauit, aut propter insipientes. Sapientes nulli natura atque studio sunt: licet quidam falso sapientiæ nomen vsurpent: insipientes digni supplicio sunt: nulla igitur causa fuit, cur Deus mundum construeret. Qui sic argumentatur non videt eam esse diuinæ probitatis amplitudinē, vt omnibus consultum esse velit. Sol enim iustis & iniustus exoritur: & pluuia è cælo demissa super omnes effunditur. Præterea, vt ex sanctis literis didicimus, omnia Dei opera sunt ad electorum gloriam reuocanda. Electi vero sapientes sunt. Non erant illi quidem sapientes. Neque enim sapientiæ semē est natura terris ingentum: sed Dei gratia & benignitate è cælo demissum. Eam igitur illi consequuntur, qui cælestia atque diuina ardenti fide suscipiunt. Electorum igitur causa nempe qui sapientes erāt futuri, Deus homo fieri voluit. Atque vt videas, quam iusta causa huius tanti muneris extiterit, causam illam mundi gignendi quam Platonis Timæus assignat, mecum recognosce. Queramus, inquit, causam quæ impulerit eum, qui hæc omnia machinatus est, vt originem rerum, & molitionem nouam quæreret. Probitate videlicet præstabat. Probus autē inuidet nemini. Itaq. omnia sibi similia generauit. Hæc nimirū gignēdi mundi causa iustissima. Et hæc quidem Plato diuinitus. Non est enim Dei potentia in dubium reuocanda: non illius consilium inconsideratè, & temere perquirendum: non alie rationes peruestigandæ. Hac vna causa contenti simus, quæ

in Dei probitate consistit. At Dei probitas, cum sit immensa, non potest vlllo modo mundi huius molitione definiri. Ergo cum neque potentia, neque probitas vllis terminis includatur, neque dubium sit, quin is possit quacumque velit, & velit omnia ad similitudinem sui perducere, quomodo verum est de opere illo dubitare, quod erat maximè ab infinita probitate postulandum? In omni igitur questione quæ de rebus diuinis habetur, cum de infinita potestate & probitate dubitare minimè liceat, id solum considerandum est, quam id de quo agimus, aptum & consentaneum diuinæ probitati sit. Neque enim muneris amplitudo homines perturbare debet: imo potius accepti muneris fidem confirmare. Principè enim maximum maxima largiri decet: Deum vero diuina beneficia conferre. Non enim sunt fines infinitæ bonitati constituendi. At homines cum Deum ex natura sua fingant, & idcirco potentiam illius angustis sanè finibus circumscribāt, & probitatem ingenio suo metiantur, fit, vt de potentia diuina sæpe dubitent, fidemque multis operibus diuinis propter admirandum immensæ probitatis exemplum nequaquam adhibeant. Hinc omnes opiniones pestiferæ quas hominum perditorum vita recepit, ortum habuere. Aut enim homines de potentia, aut de probitate diuina dubitant. Quasi vero quanta Dei potentia, atque probitas in mundi fabricatone constituti, ingenio consequantur: aut non eo magis perspicere possit opus diuinum esse, quo maius & magis admirandum extiterit, longiusque humani ingenij facultatem superauerit. Infinitæ namque probitatis est immensum & infinitum beneficium conferre:

conferre: & se cū illis quibus salutem dare vult, largitate infinita communicare. His igitur argumentis Græcorum magna ex parte dilutis, restat, vt videamus quam conueniens & aptum fuerit diuinæ probitati, id quod Christiana religio cōfiteatur. In primis vero statuendū est, Deū aliter ea quæ mēte & ratione carent: aliter ea quæ sunt ratione prædita lege deuinxisse. Ea enim quæ minimè arbitrij sui sunt, ita mouentur, vt nunquam sibi impositam legem transfiliant. Nec enim cælum motum & conuersionem suam certis temporibus intermittit: neque sydera loco suo migrant: neque mare terras fluctibus obruit: neque tellus herbas & fruges effundere desistit: neque aliquid denique aliud quod arbitrio suo careat, secus quidquam gerit, quam est illi à principio Dei lege & imperio constitutum. At illis formis atque naturis quæ rationis & consilij participes sunt, ita leges dedit, vt eis vtrum vellent liberum relinqueret. Poterat enim Angelus, & potest quilibet homo, vel legi parere, vel legem transgredi, & ita vel præmia iustitiæ consequi, vel iniuriæ pœnis obligari. Secus enim nulla diuini iudicij ratio constaret. Ea enim quæ naturam necessario consequuntur, neque laude, neque vituperio digna sunt. Præterea hoc est Dei bonitati propositum, vt nos sui similes efficiat. Hoc fieri non potest, nisi diuinis virtutibus excolamur: virtus autem non est, quæ non sponte suscipitur. Itaque fit, vt vbi voluntas libera non est, neque virtus extare possit, neque vlla spes diuini status assequendi relinquatur. Cū igitur homines non cogēdi, & ad officium cōpellendi, sed modis omnibus inuitādi, & alliciendi fuerint, quæro quæ ratio cōmodior ad voluntates alliciendas,

& studium virtutis excitandum excogitari potuerit ea, quā  
 clementissimus ille dominus, & parens optimus, cum huma-  
 nam naturam secum ita coniunxit, vt homo fieret, admira-  
 bili consilio cōsecutus est? Nulla prorsus. Quid est enim amo-  
 re ad voluntates excitādas efficacius? Quid autem est ad ex-  
 citandum amorem vehementius vera pulchritudine in oculis  
 & aspectu proposita? Quæ autē alia veræ pulchritudinis ra-  
 tio animo fingi potest, præter eā quæ diuinæ benignitatis splē-  
 dore & magnificentia continetur? Quid autem magis diuinā  
 benignitatem in animis hominum defigere potuit, quam illud  
 admirandum probitatis exemplum, quo dominus pro seruis,  
 innocens pro maleficis, Deus pro impuris hominibus, mortem  
 & cruciatum expetiuit? An est aliquid virtute pulchrius &  
 amabilius? Aut aliqua virtus illustrior ea, qua princeps se se  
 pro suorum salute ad mortem offert? Non profecto. Agrau-  
 los Pandionis filia quod se exitio, patriæ amore deuouerit ho-  
 noribus diuinis affecta fuit. Codrum similiter ydem Athe-  
 nienses miris in cælum laudibus extulerunt. Decij apud Ro-  
 manos tantæ admirationi fuere, vt eorum nomen immortali-  
 tati consecratum sit. Est enim hoc animis omnium hominum  
 penitus inculptum, vt eos qui vitam pro reip. salute in sum-  
 mum discrimen inducunt, diuinos existiment. Plato eos qui  
 pro patria fortiter dimicantes occumbunt, heroës haberi, eisq.  
 honores prope diuinos institui iubet. Aristoteles hanc vnam  
 virtutē reliquis omnium virtutum laudibus anteponit. Hanc  
 multi Philosophi laudibus planè diuinis afficiunt: hanc homi-  
 nes eloquentissimi tantis ornamētis illustrandā existimarūt,

vt

vt omnem dicendi vim in ea celebranda & exornanda consu-  
 merent. Vt autem hominum excellentium testimonia inte-  
 græque naturæ iudicium relinquamus, ipsum rerum omnium  
 dominum legimus in sanctis literis hac vna virtutis ratione  
 sæpe placatum fuisse. Cum enim Hebræos delere statuisset,  
 & Moses se medium interposuisset, vt pœnas populo debitas  
 ipse pro omnibus, si ita opus esset, animo libente sustineret,  
 ipse Deus se se à cæde cōtinuit, & multitudini clementer igno-  
 uit. Apud nonnullos Prophetas conqueritur, quod nullus in  
 Hebræorum multitudine reperiri posset, qui promptus atq.  
 paratus esset ad corpus suum pro omnium salute cum diuinū  
 iudicium immineret, opponendum. Hæc igitur virtus nō so-  
 lum apud homines semper illustris & ampla fuit: verum &  
 diuino testimonio sic comprobata, vt in ea demum quasi in  
 quodam sacrificio magnificentissimo atq. gratissimo singu-  
 laris sanctitas, summaq. placandi numinis ratio constituta vi-  
 deatur. Si hæc igitur heroicæ virtutis officia summa sunt, si  
 gloriosa, si prædicanda, si vehementer amabilia, si cum à ci-  
 uie conferuntur, admiranda, si cum à ciuitatis principe sus-  
 cipiuntur, diuinā, quid erit existimandum, cum summus  
 rerum omnium conditor pro hominibus quos in se ingra-  
 tos & sceleratos expertus fuerat, terras inuisere, huma-  
 nam formam induere, seque ad sacrificium pro omnibus offer-  
 re constituit, vt patris numen eis propitium redderet, illosque  
 iam morti sempiternæ destinatos in vitam sempiternam reuo-  
 caret? Hæc immensa Dei benignitas animaduersa nō amoris  
 incendium cōcitabit? Nō animos ardore pietatis inflābit?

n 4

Non

Non omnia vitæ discrimina libenter adire compellet? Quid quod Dei filius crucis supplicio non modo immense charitatis officio perfunctus fuit, verum & singulare iustitiæ munus exequutus est? Sic enim Deus clementiam tuetur, vt iustitiæ simul partes singulari ratione suscipiat. Iustitiæ autem ratio flagitabat, vt iuris diuini hominū scelere violati æqualis compensatio fieret. Nulla autem vis erat in terris, quæ violati numinis iniuriam compensaret. At sine debita offensa satisfactione diuini iuris ratio minime patiebatur, vt genus humanum omni scelere contaminatum, quod maiestatem diuinam offenderat, in gratiam à Deo reciperetur. Fuit igitur commodum, vt humana natura diuinæ coniuncta adeo locuples fieret, vt abundè patri pro sceleribus humanis satisfaceret. Hoc igitur Christus à natura diuina sumpsit, vt corpus illius sanctum, innocens, nulla omnino peccati contagione maculatū vim infinitā possideret, qua posset debitum quo eramus omnes obstricti dissoluere. Quod nō rapui, inquit ille, tūc exoluebam. At, inquis, iustum non est, vt innocens pro nocentibus pœnas luat. Quid si quispiam sponte sua cum cernit hominem addictum à creditore trahi, pro illo pecuniam soluit? Non est æquum, vt is qui erat alieno ære vehementer obstrictus, aliena pecunia liberetur? Cum igitur Dei filius, qui solus nos redimere poterat, pro nobis sponte sua debitum soluit, nonne vides iure factum esse, vt nos illius sanguine in libertatem vindicaremur? At indignum, inquis, est Dei clementia & equitate innocentis supplicio delectari. Non supplicia delectatur, ô Philosophè, sed virtute, beneficentia, & caritate

qua

qua supplicium pro omnium salute contemnitur. Et interim hic summus iustitiæ Magister eadem opera diuinæ caritatis atque iustitiæ mirabile nobis exemplum proposuit. Caritatis quidè, cum sic statuit, vt filius pro omnibus mortē oppeteret, & supplicia acerbissima pateretur: iustitiæ vero, cum nos in gratiam recipere noluit, nisi prius idem filius debitum quo eramus obstricti dissolueret. Qui nobis filij vnici sanguinem largitus est, quid ad salutem necessarium denegabit? Qui proprio filio, vt Paulus inquit, non pepercit, sed ab illo pœnas nostri sceleris expetiuit, quæ tãdem supplicia nostris sceleribus, si fuerimus in tantum beneficium & munus ingrati constituet? Christus igitur crucis supplicio simul & amorem probitatis excitauit: & metum iudicij seuerissimi animis nostris obiecit. Et cum ad spem simul erigendi, & metu coercendissimus, rei vtriusq. salutarem disciplinam sanxit. Quis enim non speret sibi ascensum in cælum datum iri, cum cernat salutem & dignitatem suam fuisse Christi Dei filij sanguine constitutam? Quis rursus non diuini iudicij seueritatem pertimescat, cum eundem Dei filium pro alieno scelere tantis pœnis excruciatum aspiciat? Præterea ille princeps optimus habendus est, qui leges quas sanxit, operibus cõprobat, moresque suos in publico suis ad imitandum proponit. Omnes enim principum mores & instituta sequuntur. Princeps autem nobis summus atque sempiternus ipse Deus est. Veteris autem Philosophiæ præceptū illud memoratur, quod est è sanctis literis sumptum, Deum sequere. Itaq., vt etiam sapientia Græca tradit, Deus nobis summa vigilatia & alacritate sequendus erati

n 5

Quo

Quomodo autem illum sequi, & imitari poteramus, cum à nobis videri non posset? Ex natura, inquis, operibus agnosci poterat. Rectè mones. Sed illud etiam velim adijcias, quo tandè modo illum imitari debeo. Iubes ne vt ipse cælum aliud atq. terrã aliam, & animantia atq. sidera faciã? Non inquis. Sed virtutè imitare. Eam igitur virtutem quam imitari percipio, propius intueri volo. Aliter enim quæ virtutis ratio illi cordi sit, explicare non satis potero. Ne id igitur homines desiderarent, fuit immensæ Dei benignitati & sapientiæ consentaneum, vt Deus sub humana forma se ad homines docendos daret: vt non solum oratione iustitiæ disciplinam traderet: verũ sanctissima vita, & factis egregijs, quid Deo gratissimum esset ostenderet. Erat Deus superbia grauiter offensus: humilitate igitur & moderatione explicandum fuit, quantum Deo sapiens animi demissio, atq. moderatio placeret. Vitæ sordes, & impuritates, effrenatæq. libidines iræ numinis incitabant: cõgruũ igitur fuit, vt Dei filius exẽplo suo castimoniã corporis, & mētis integritatẽ sanciret. Crudelitas & immanitas cum Dei clemētia bellum omni odio imbutũ gerebat: fuit igitur necessarium, vt is in oculis hominum omnia studia vitæ ad beneficentiam conferret: vsque adeo vt etiam pro hostibus oraret. Erat voluntas nostra à Dei voluntate penitus auersa: fuit igitur opus, vt illius exẽplo qui dicebat, Nō mea voluntas, sed tua fiat, videremus omnes actiones & cogitationes esse ad Dei voluntatẽ cõferendas. Mentis effrenatæ rebellio qua homines Dei imperium nefariè detrectabãt, Deum ab hominibus tuẽdis & cõseruãdis auertebat: ideo cõsentaneum fuit,

fuit, vt Christus obedientia sua numen patris nobis iratum placaret: & illis qui deinceps illius iussis obedirent, causam salutis afferret. Et quia summa obedientia non in delicijs & vitæ iucunditate, quam sponte nostra suscipimus, sed in laboribus atq. doloribus à quibus natura refugimus, aperte declaratur: commodum fuit, vt is cuius obedientia nostræ rebellioni & contumaciæ scelus erat expiandũ, fieret obediens vsq. ad mortem, & non ad quoduis mortis genus, sed ad id quo nullum erat detestabilius, nempe ad crucis supplicium. Cernis iam animo quantas diuinæ sapientiæ opes in se crucis huius disciplina contineat: cernis compressam & edomitam libidinem & insolentiam: temeritatem, & audaciam profligatam: opes immensas benignitatis, iustitiæ, obedientiæ explicatas: homines in ardentissimum studium ipsius incitatos: & tamẽ heres & dubitas, neq. crucis vim, atq. celeste numen amplecteris? Adde nunc paciētiæ robur, quod reliquas virtutes pro assedio diuino confirmat. Frustra namque bellum contra vitiorum labes & impuritates suscipimus, si in medio certamine aut oblata voluptate liquefacti, aut dolore victi relictum & confirmatum sensum deponimus. Patientia igitur nobis opus est, quæ statum animi fulcit, & coronã stabilem atq. sempiternam cõsequitur. Nō satis igitur fuit Christo leuicia, cõuicia, maledicta sustinere: nisi etiam, vt nos exẽplo suo cõfirmaret, acerbissimos cruciatus admirabili quadam patientia toleraret. Vt enim Petrus ait, cum maledictis vexaretur, nemini maledicebat: cum tormentis afficeretur, nemini minas proponebat. Si igitur Deus sequendus erat, si Deum sequi minime licebat,



licebat, nisi videretur, si videri non poterat nisi homo fieret, ut homines non verbis tantum, sed exemplis in verissimæ virtutis studium incitaret, quid potuit ad hominum salutem utilius & providentius fieri, quam ipsum Dei filium intueri pro hominum salute confixum maledictis, concisum vulneribus, excruciatum doloribus, inuictaque patientia hæc omnia perferentem, ut non modo pœnas pro nobis lueret, verum & nostros animos diuinæ virtutis exemplo, & inuicta patientia confirmaret? Quid est igitur quod Philosophum conturbare possit, si de potentia diuina non ambigit, si Dei probitatem nullis finibus arceri confitetur? Si nullum beneficium fuit magis immensæ probitati consentaneum, quid relinquitur, quod hominum fidem impedire possit, quominus salutem suam animo grato atq. memore complectatur? Neq. enim Dei naturam dicimus dolore affectam, neque immutatam, neque maiestatem illius imminutam asserimus. Quidquid enim molitur, & efficit, sine mutatione efficit: non enim tactu, sed immensa virtute opera sua cõficit. In Christo quidem latebat, sed naturam vniuersam numine suo cõtinebat: & cū homo pateretur, illum nullus dolor attingebat: sed tantum sub hominis veri forma & specie humani generis salutem cõstituebat. Admiraris quod homo fieri vellet? Admirari desine. Infinitæ namq. probitatis est menses sibi infinita ratione deuincire. Quod pro omnibus pati secundum hominis naturam voluerit? At eiusdem immensæ probitatis est cõmodorum suorum obliuisci, ut aliorum cõmodis atq. salutem prospiciat. Nihil reliqui est, quod homines cõturbet, nisi muneris amplitudo, quasi sit quod magis immensæ probitati cõueniens sit, ut

iam

iam diximus quam immensam & infinitam minus, & inextinguibile beneficium. Ne autem plura persequar, in cruce pater ille summus sapientie summæ disciplinæ constituit. Hoc enim effari videtur. O miseri mortales quos voluntatis vestrae studium mentis lumine priuat, & in miseria sempiternæ regionem precipites exturbat, pestem nefariam fugite, & cladem quæ vobis impendet arcete, quod ut facere possitis, meam disciplinam amibus & ratione percipite. Et quia omnes insidie vestris animis ab immoderatione vestrae voluntatis atque libidinis intenduntur, ut benignitate mea frui possitis, voluntatem vestram quæ vobis perniciem machinatur, summo studio comprimite, & meæ voluntati quæ vestram salutem tuetur, diligenter obtemperate. Quid autem est, quod a vobis expepeto? Quod vobis tributum impero? Quod minus, ut saluam & ornati sitis esflagito? Vt numquam a voluntate mea descedatis: quam ut intueri possitis, eam vobis in summa proponam. Omnia quæ naturæ operibus edocui, quæ lege sanxi, quæ per prophetas explicui, in cruce in quam filius meus cõstitutus, ut humanam salutem constitueret, agi sustinuit, perfecte cõsistunt. In ea enim cruce quæ mundo salutem peperit, communis verissimæ sapientie rationem, firma vite vestrae præfida, summa dignitatis ornamenta, fixi, locati, cõstituti, & illius opera voluntatis meæ fructum patefeci. Si vultis igitur quod velim, quid exigam, quid prescribam, in summa comprehendere, hoc tantum volo, ut in Christum cruce pro vobis affixum respiciatis, & nullum clarius studium sapientie requiretis. Qui enim voluntatis suæ temeritatem compresserit: qui ca-

pudica.



peditatibus suis crucem defixerit, qui commodorum suorum  
 oblitus omnia studia vitæ in vtilitatem humanam cōtulerit,  
 qui pro omnium salute vitam vel abiecerit, vel in discrimen  
 induxerit, qui labores & dolores pro sanctitate iustitiæ sus-  
 ceptos patienter & mansuete tolerauerit, qui denique se se to-  
 tum ad filij mei carissimi imitationem contulerit, is volunta-  
 tem meam sequetur, & mihi gratus & acceptus erit, & in fi-  
 lijs meis annumerabitur. Et hæc quidem Deum dicere co-  
 gitamus, & alia plura quæ explicare non possumus. Quod  
 si sapientia Dei notitiã continet, Christi crux nobis Dei noti-  
 tiam multo clarius quam vnquã tradita fuerat, explanauit.  
 Dei namque probitatem, immensam sapientiã, iustitiam, vim  
 infinitam sempiterni numinis exposuit: per eã enim ex igno-  
 minia decoris amplitudo, ex doloribus voluptatis sempiternæ  
 iucunditas, ex morte vitæ diuinæ admirabilis splendor elu-  
 xit. Cæli quidem enarrant gloriam Dei. Sed opera cælestia  
 tantas vires non habuerunt, vt hominum mentes ab impieta-  
 te ad pietatem cōuerterent. Magnum fuit beneficium in lege  
 diuinitus promulgata generi humano concessum. Sed lex nõ  
 tantum habuit momẽti, vt animos flagitijs atq. sceleribus obli-  
 gatos è vitiorum vinculis expediret. At hoc maximum om-  
 nium beneficium cū amoris diuini multo clarius argumentũ  
 contineret, tantas vires habuit, vt terras vniuersas immuta-  
 ret. Verba enim deficiunt, ingenium obruitur, mens obstupe-  
 scit, quoties intelligit Dei filium pro hominibus hostili odio  
 ab illius religione disidentibus mortem & cruciatum liben-  
 tissime pertulisse. Itaque homines, qui diuini spiritus impulsu  
 hanc

hanc tantam vim benignitatis animo considerabant, amore  
 non sauo, sed iucundissimo saucij extra se rapiebantur: cupi-  
 ditate gloriæ immortalis incensi ferebantur: ignis eos intus  
 exurebat: & ad aõiones præclaras acriter atque vehemen-  
 ter incitabat: tantaque erat amoris vis, vt nihil arden-  
 tius cuperent, quam vitam in tormentis abijcere. Quod cer-  
 tẽ fieri ab illis minime potuisset, nisi mentes eorum lumine  
 diuinæ mentis illustrata id vidissent, cuius tam amabilis spe-  
 cies esset, vt mori millies valde expetendum iudicaret, dum  
 eum statum assequerentur, in quo possent iucunditate illa  
 sempiterna potiri. Videbant igitur animis, & iam sentiebãt,  
 & contemplabantur aliquid, in cuius fructu vita beata consti-  
 stit. Aliter enim nunquam se in tam multos labores, & tanta  
 vitæ pericula tam ardentibus animis intulissent. Sed à Græ-  
 cis philosophis interim quæram, num opinarentur Deos inter  
 se disidere, alios alijs insidias moliri, & acerbissimis odijs de-  
 certare? Negabunt. Num adulterijs & nefanda libidine con-  
 taminari? Id etiam nimis absurdum & impium esse fatebun-  
 tur. Num Api Ægyptiorum boui, quem illi Deum habebãt  
 sanctissimum, aut Anubi, aut serpenti, aut Crocodilo, diuini-  
 tatem tribuendam censuerint? Neque hoc quidem ferendum  
 esse dicent, vt monstris sacra solennia fiant. Rursus inter-  
 rogabo, quomodo cum id recte sensissent, non omnem operam  
 posuerint, vt suis ciuibus errorem adeo pestiferum detrabe-  
 rent? Aut enim credebant Deos esse flagitijs infames: aut pa-  
 rũ interesse qualis de mēte diuina opinio haberetur iudicabãt;  
 aut verum profiteri, ne in multitudinis offensionẽ inciderent,

non audebant. Si Deos esse credebant, turpissimis vitijs inquinatos, erant scelestissimi: si parum qualibus opinionibus esset instituta religio ad vitam rectissimis institutis moderandam referre credebant, amentissimi: si vero ciues suos ab errore reuocare non audebant, ignanissimi. Si igitur neq. scelus, neque amentia, neque timiditas cum sapientia simul habitare potest, & eos constat, aut impios, aut amentes, aut valde timidos extitisse, colligitur certè, eos nullum sapientiæ gradum fuisse consecutos. Sapientiæ namque munus est hominum vitæ consulere. Vita vero cum homines de Deo male sentiunt, & illi vitia temere & impudenter affingunt, constitui rectè non potest. Qui enim Deum adulterum credit, continens esse non poterit: qui parricidam, pietatem violabit: qui ebrium, vino se libenter ingurgitabit: qui postremo belluam immanem, paulatim efferabitur. Hic tu Philosophè quam rem geris? Quo studio & alacritate huic tanto malo resistis? quo genere orationis homines furentes ab errore mentis abducis? Non audeo, inquis. Tibi veniam tribuo. Scio enim nò in te tantum roboris inesse, vt tibi hoc onus imponi merito debeat. Illud tamen quod æquum est, à te iure flagito, vt eorum virtutem admireris, qui id quod tu tam præclaris artibus instructus, tanta eloquentia præditus, tam multis patriæ meritis obligatus nunquam facere ausus fuisti, cum non essent artibus istis imbuti, aut vllis humanæ eloquentiæ opibus ornati, summa alacritate susceperunt: neque à præclarissimo conatu destiterunt, donec tam præclarum facinus ad exitum perducerent. Et quo maior est metus ille qui te à tam honesto

sto

sto munere deterruit: eo virtus eorum magis admiranda perspicitur, quos nullæ fraudes & insidiæ, nulla tyrannorum feritas & truculentia, nulli dolores & cruciatus impedire poterunt, quo minus feritates omnes impurissimæ religionis expellerent. Iouem de solio detrusum, Venerem honore deicendam, Liberum, Mercurium, Cererem, Æsculapium, & reliquos falsos Deos in exilium pulsos, Apim, Anubim, Osirim, Astartem, & omnia denique numina cõmentitia percussa, & profligata consideras, & dubitas quin hoc tam pulchrum facinus virtute diuina perfectum & absolutum sit? At ea virtus crucis doctrina continetur. Virtus autem diuina à sapientia diuina disiungi non potest. Diuina igitur sapientia in cruce quam tu stultitia condemnas, inesse perspicitur. Sapientiam (inquit Paulus) loquimur inter perfectos: sapientiam non huius mundi, neque principum huius mundi qui funditus euertuntur. Alibi vero Arma, inquit, militiæ nostræ nò humana, sed diuina sunt, diuino robore atque potenti firmata, ad demolitionem munitioum, quibus consilia demolimur, & omnem altitudinem quæ extollitur aduersus cognitionem Dei. Tum illud etiam præclarissimè dictum. Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi inquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Hæc quidem Paulus, qui quidem animaduerte quibus armis sapientiam mundi funditus euerterit: quo animo tantum facinus aggressus sit: quanta virtute confecerit: quanta felicitate veræ sapientiæ disciplinam tradiderit: & non clariora diuinæ virtutis argumenta, flagitabis. Sed nimirum illud est, euangelium esse abstrusum

o

atque

atque reconditum illis quos hostis humani generis excæcavit. Nam si hoc non esset, quid clarius esse posset? Si enim Dei potentia est infinita, si probitas immensa, si bonitatis summæ proprium est, summa cum mentibus quæ aliter stabili non possunt coniunctio, si genus humanum erat è sempiternis miseris eripiendum, si iniuria diuinæ maiestati facta excellenti virtutis infinitæ merito compensanda, si amor erat excitandus, si metus incutiendus, si documenta patientiæ & virtutis admirandæ statuenda, si hæc omnia fieri commode non poterant, nisi Dei filius sub humana forma atque natura nos ad disciplinam cælestem erudiret, sanguineque suo animos nostros expiaret, quid euidentius Christiana fide potest esse, maxime vero cum omnia bona quibus fruimur fuissent olim à Deo promissa, atque fœdere sanctissimo confirmata? Vt ita sit, inquiet aliquis, indignum erat, ut communis salutis auctor nullum fructum ex opere tam præclaro perciperet. Nullum inquis? Imo id nomen secundum humanæ naturæ rationem, mortis ipsius meritis, atque sacrificij religione & sanctitate consecutus est, quo nullum clarius, illustrius, mirabilius, & salutaris concipi mente atque ratione potest. Nemo enim vnquam reliquis beneficus & salutaris extitit, qui non eo studio dignitati suæ valde consuleret, quod in Christo maxime cerni potuit. Ius enim atque sempiternum imperium administrat: cælum & terram potestate infinita complectitur: illum enim cælites admirantur: homines iusti numen illius venerantur: iudicium illius inferi perti-

mes-

mesant: omniumque genera (vt Paulus ait) illi flectuntur. Ita namque gloria sempiterna circumfluit, vt illi cuncti boni supplicent: & illius iussus omnes exercitus cælestes obtemperent. Decebat (inquit Paulus) eum per quem omnia, & propter quem omnia, cum multos filios gloria cumulare statuisset, auctorem salutis eorum, cruciatibus perfectâ nominis gloriâ adipisci. Ex hac Pauli sententia intelligimus Christum morte illa clarissimâ decus, & nomen, & gloriam, & imperium, & regnum diuinum atque sempiternum consecutum, ad dexteram patris locatum, cælum regere, atque moderari, & beatas mentes luminis sui splendore atque numine collustrare. Magnum (inquit Paulus) est pietatis mysterium. Deus manifestè apparuit in carne. Quis hoc autem optare auderet, vt oculis præcellentissimum illud numen in humana specie latens aspiceret? Illius tamen potentia atque sapientia factum est, vt verus Deus verus homo fieret, & ita naturam humanam ad personæ vnitatem assumeret, vt nihil esset omnino de maiestate diminutū: sed mundum etiâ in vtero sanctissimæ virginis inclusus imperio coerceret. Sequitur deinde. Testimonium iustitiæ cōsecutus est à spiritu. Dei enim spiritu dæmones eiciebat: morbos corporum & animorum depellebat: mortuos in vitâ excitabat: & insitum numen operibus admirandis indicabat. Ait deinde. Apparuit Angelis. Quid hoc est? Angeli qui semper faciē patris intuentur, non simul & filiū aspiciunt? Aspiciunt certè. Sed noua illa forma diuinitus assumpta, nouam illis materiam admirationis atq. sapiētiae multiplicis præbuit, & de integro

Dei potentiam atque sapientiam admirati illi debitam gloriã tribuerunt, & nouis laudibus & cantibus numen illius celebrarunt. Nunquam suspicati fortasse fuerant, fieri posse, ut numen infinitum ita secum naturam humanã ad remedium humani generis copularet, ut utraque natura integra permanente vna tantum persona consisteret. Apparuit igitur multo clarius Angelis Dei immensa benignitas, qua quidem suẽre nouo quodam lumine collustrati, & ingenti gaudio cumulati. Addit deinde, Prædicatus est gentibus. Et hoc quantum extitit diuinæ virtutis argumentũ? Homines obscuros, ignobiles, imperitos, tantum facinus suscepisse, ut gentibus feris, immanibus, flagitiosis, à cultu verissimæ pietatis abhorrentibus disciplinam traderent moribus & institutis aduersariam, & libidinem cui erant penitus addictæ seuerissime comprimentem, & ea docentem, quæ neque sensibus, neque ratione, neque mente comprehendi & percipi poterant. Quam feliciter vero illis id reciderit, quod sequitur plane demonstrat. Creditus est mundo. Quamuis Dei testimonia per se valde credibilia sint: cum tamen mundus in tenebris & caligine versetur: & nihil credere velit, nisi id tantum quod sub sensus cadit, & præterea propter mentis angustias, & ingenij tarditatem, & diurnam flagitiorum & scelerum consuetudinem, nihil ad aures velit admittere, nisi illud tantum quod voluptatem efficit, in maximi miraculi loco ponendum est, mundum credere Deum in humana forma latuisse, ut humanam libidinem, & cupiditatem, & insolentiam profligaret. Adiungit postremo, Assumptus est in gloria. Qui fuit à militibus

per

per ludum & incum spinis & sentibus coronatus, qui fuit verberibus crudelissime cæsus, qui præter dolores summos infanda conuicia & maledicta pertulit, qui derisus, contumelijs affectus, omniumque despicatissimus in cruce fuit, is euectus in cælum de morte, de tenebris, de peccati tyrannide, de aduersarijs potestatibus clarissimum triumphum duxit, & coronam gloriæ sempiternæ consecutus regnum cæleste legibus sanctissimis administrat. Illum cælites intuentur: illi seruiunt: illius laudes perpetuo canunt: neque tamen minimam gloriæ illius partem cantibus & oratione consequuntur. Illius benignitatem in terris experimur: neque tamen multitudinẽ donorum & munerum enumerando percensemus. Numen illius hostes sempiterni vehementer exhorrent: neque vllò in loco à metu & trepidatione conquiescunt. Itaq. virtute inuictus, caritate beneficus, opibus diuinis ornatus, cælũ gaudio cumulat: & terras nominis sui gloria complet: inferas regiones exterret: suos beneficijs innumerabilibus auget: inimicos qui in scelere contumaciam adhibent, acri iudicio peruertit. Hæc omnia cum ita perspicua sint, ut negari non possint, quis tam hebeti ingenio est, & tam angusta mente præditus, ut ijs argumentis Christi numen extare, & eminere non videat? Non crucis vim & efficientiam admiretur? Non robore illius innoxius ad immortalitatem enitatur? Et tamen erit quisquam qui non ideo credere velit, quia rationes diuinæ virtutis explorare non queat? An aliam rationem potiore ea, quæ potentia atq. probitate immensa & infinita continetur, exquirendam existimat? Venit ne tibi in mentẽ admirari genus insecti

o 3

cor-

corpore quidem perpusillum, genere vitæ, & instituti ratione vehementer admirandum? Apes enim rem acutè considerantibus ingentem admirationem merito commouebunt. Quanta enim solertia fauos efficiunt? Quam singulari artificio cellas distendunt? Quanta sedulitate mella colligunt? Quis commemorare poterit illam reipub. societatem? Illam publici muneris consensionem? Illam erga Reges suos fidem? Illam in repellendis fucis acrimoniam? Adde nunc ipsius operis & industriæ fructum. Est ne aliquid in vita melle dulcius, atque ad multa mala depellenda salutaris? Quid cum mellis dulcedinem percipis, credis illius suauitatem insecto paullo musca grandiori deberi? Credo inquis. Quare? Quia id oculis perspicias, & reliquis etiam sensibus vsurpas. Ergo si apes & aluearia apud nos minimè fuissent, & tam suavis liquor esset ex vltimis orientis solis regionibus allatus, & id tibi quod nunc oculis cernis aliquis enunciaret, fidem certè non haberes. Cur ita tandem? Quia vim & causam tam miræ suauitatis in tam pusillis animantibus inclusam perspicere nullo modo mente & cogitatione valeres, & sensibus, id quod esset à sensibus amotum, iudicare non posses. Ergo si fidem sensibus tatum habendam censes: Philosophiã desere quæ hoc secū deliberatum habet, vt sensus fallaces exci-  
stimet, rationemq. tantum in vita sequatur. Ergo quidquid à sensu fuerit remotum, quod ratio non possit exactè percipere, per te concidat opus est, & ex omni natura penitus exterminetur. Quæro enim, num inclusam illam vim quæ ex terris viriditatem elicit, quæ herbas fruges, & arbores ex gremio

ipsius

ipsius telluris effundit, & flores, & fructus atque semina gignit, oculis vniquam perspexisti? Num cum animantium varietatem, multitudinem, solertiam, vsum, & sobolis propagationem animaduertisses, vim qua viuunt, & sentiunt, & variè comouentur exploratã & cognitam penitus habuisti? Nū corporum simplicium è quibus omnia quæ cæli ambitu continenter effecta sunt, perennè & continuatam motionè & vicissitudinem qua vltro citroq. comeant, & alia in aliorū naturam conuertuntur, cogitatione cõprehēdisti? Num nodum quo omnia inter se cõstricta sunt, ita vt quãuis diuersa & dissimilia natura sint, miro fœdere coniungantur, mente & ratione complexus es? Quid cæli naturam tanto splendore colucentem, tam claris sideribus exornatam, tam singulari artificio perpolitam oratione referam? Quid orbium cælestium cursus varios atq. dissimiles, rata tamen & stabili proportione colligatos? Qui modi sunt illi qui ex maximis interuallis, pro rata tamè portione distinctis, iucundissimos naturæ cõcentus efficiūt? Narra, si potes, quæ vis illa sit, quæ ima summis, media extremis eo vinculo deuinxit, vt omnia inter se pacem & amicitiam inuiolato fœdere conseruarent. Hæc quidem aspicias oculis: vim tamen, modum, legem, & rationem qua mouentur, neque sensibus vsurpas, neq. ratione consequeris. Et tamen cum ne minimarum quidem rerum causam teneas, tam intoleranda superbia duceris, vt quidquid non intelligis in dubium voces, ita vt ne Deo quidem qui est veritas sempiterna fidem adiungas? At hæc omnia quæ nunc oratione perstrinximus, infima sunt, & extrema diuini numinis opera

neque in aliquo numero habenda, si cum alijs operibus diuinis conferantur. Neq. philosophiæ quidem munus in his operibus considerandis insistit. Alia namq. sibi multo ampliora proponit. Corporea namque sunt omnia, & natura dissolubilia quæ intuemur oculis: at sapientiæ studiū incorporea atq. sempiterna requirit. Neq. solum in animorum peruestigatione studium ponendum censet, sed multo etiam magis in illorū parente & altore considerando, summaq. sanctitate & religione colendo mentem defigendam arbitratur. Sic igitur necesse est, vt animus cælestes mentes prætergressus in fontem bonorum omnium contento cursu & ardenti studio feratur: vt infinitam illam vim, numen, rationem, sapientiam, probitatem, quoad licet, aspiciat, admiretur, amet, affectetur, adipisci velit, & iucundissimo cupiditatis incendio flagret, & ita demum fiet, vt nunquam illi beneficia tam admirandæ benignitatis intereant. Videbit enim lumine diuinæ mentis illustratus, neq. Dei potentiam finibus vllis teneri: neque sapientiam hebescere: neq. probitatem circumscribi: ita vt nihil diuinum numen impediatur, quominus opus perfectissimum & absolutissimum insit & benignitatis efficiat. Videbit deinde nullum diuinæ probitatis opus clarius esse potuisse eo, quo Dei filius naturam humanam in tā alto gradu dignitatis locauit, vt eam secum inexplicabili ratione coniungeret, ita vt Deus homo fieret, & homo Deus haberetur, & esset. Si tibi admirandum opus esse videtur, potentiam numinis sempiterni venerare: si nostræ salutis constituendæ consentaneum, sapientiā: si beneficentiæ amplitudinem consideras, probitatē. Itaq. semper

per & immensam vim & potentiam extimesces: & sapientiā admiraberis: & probitatem amore ardētissimo complecteris: neq. vllō modo muneris amplitudo te ipsum à fidei constantia dimouebit. Neque cogitatio maiestatis tibi vllam dubitandi materiam, si alta mente fueris præditus exhibebit. Vt enim illa vis ignea quæ superum locum tenet, infima quæq. non deserit, sed omnia fouet, alit, atque sustentat, vsq. adeo, vt etiam se in aquarum gurgites, in terræ viscera, in arborum truncos, & in lapidum venas insinuet, vt vim vitalem atque salutarem rebus cunctis impertiat, ita tamen vt eam nulla contagio naturæ inferioris inficiat: ita mens diuina per omnem naturam pertuens omnia gignit, conseruat, & auget, & singulis rebus pro cuiusque naturæ ratione benigne consulit, vt res mutæ consistant, arbores crescant, animantia moueantur, homines intelligant, & qui benignitati illius minimè diffidunt, ad similitudinem illius perducantur: ita tamen, vt ipse mutationis totius expers in omni aternitate permaneat. Et perinde atq. sol cum radijs omnia collustrat, non solum lucem in terras spargit: verum eas herbarum viriditate, arborum amœnitate, animantium partu, multiplici rerum fructu, atq. veris ornamento singulis annis repetito latificat: ita tamē vt ipsius natura non immutetur, sed omnia commutet: sic Dei filius cū lucem suam latissimè diffundit, neque cælestes tantum, sed etiam humanas mentes illustrat, excitat, inflammat, & animos quasi quodam aratro proscindit, in illisq. verbi diuini semen spargit, vt multiplices fructus efferant, eorūq. tandē secū omnium bonorum cōmuniōne consociet: non ex ea cōiunctiōne

aliquid de maiestatis immensitate, & dignitatis amplitudine deperdit: imo immensæ maiestatis quæ nullam mutationem subire potest, immensas opes cõspiciẽdas exponit, vt homines ad eas fruendas alliciat. Et quo maior, admirabilior, & salutarior, ea coniunctio fuerit, eo acrius mētes hominũ ad sui amorem & studium concitabit. Ita vero illas immutabit, vt ipse nunquam in vlla rerum molitione, aut beneficijs summa benignitate ab eo tributis immutetur. Rerum similitudines ita conferimus, non quod vlla similitudo è corporibus sumpta possit numen diuinum explicare, sed quod alias non habeamus. Cum igitur Dei filius homo fieri voluit, vt homines ab interitu sempiterno vindicaret, non à dignitate sempiterna discessit: sed hominum naturam ad altissimum gradum dignitatis euexit. Quomodo id factum fuerit, ne curiosè inuestiges, ne magnitudine diuinæ gloriæ & sempiterni decoris cum tuæ salutis interitu, & sempiterna macula tui nominis obruaris. Satis habe, quod certus esse possis, esse verissimum quod Christiana religio confitetur. Id enim est à Deo signis testificatum: orbis terrarum mirifica conuersione comprobatum: muneribus diuinis quæ potentiam, & conuenientiam, & benignitatem numinis cælestis indicat, aperte declaratum: ita vt nihil reliqui fiat, quod homines in veræ pietatis studio incitatos à credendo retardet. Vt enim nihil aliud dicamus, qui terram, qui mare, qui fruges, qui animantia, qui sydera, qui cælum creauit, vt corpora nostra quæ sunt terrestria & interitura tueretur atque conseruaret: & hoc non alia ratione quam magnitudine probitatis inductus effecit: quo modo

non

non multo maiora & ampliora probitatis infinitæ munera, animorum nostrorum gratia qui sunt immortales, ad illiusque naturam propius accedunt, in nos magnificentissime contulisset? Cum vero in rebus diuinis, non alia causa nisi probitatis amplitudo exquirenda sit, eaque probitas ex donis atque muneribus in genus humanum collatis facillimè cognoscatur, quamuis iam multa Dei munera oratione persecuti simus quæ cruci virtutis admirandæ testimonium dant, sequenti tamen libro opes sapientiæ, diuinæque benignitatis munera quæ in cruce Christi latent, quo ad  
 fas fuerit, magis aperiemus.

DE

## DE SAPIENTIA

## LIBER QVINTVS.



**MNES** quidem sapientiæ opes in Christi disciplina consistere satis explicatum arbitror. Illa namq. errores sustulit: mentes illustrauit: morbos & vulnera sanauit: aspectum animis restituit: tenebrasq. discussit, atq. perfecit, vt infinitâ Dei probitatem, sapientiam, & numen contemplari, & intueri possemus, admirabiliq. luce fruermur. Nondum tamen satis explicite quos simus ex illa fructus cõsecuti, oratione descripsimus. Vt autẽ hinc ordiamur testimonio diuino constat verã sapientiam in diuinæ legis cultu, & salutaris obedientia cõsistere. Sic enim scriptum est. Hæc est vestra sapientia & intellectus corã populis, vt audiẽtes præcepta hæc dicãt, En populus sapiens & intelligẽs. Quasi dicat, Colãt alij Mathematicas disciplinas: naturæ obscuritatẽ summo studio peruestigent: celi etiã, si volent, spatia immensa definiant: & quod est terræ penetralibus inclusum, eruere, & in apertũ proferre conẽtur: ostentẽt sapientiã: venilitent ingeniũ: reconditæ eruditionis nomine subnixi ambulent: & se passim quasi rerum publicarum correctores & emendatores intrudãt: at vos vnum genus sapientiæ retinete: in lege nempe Dei dies ac noctes elaborate: ea nunquam ex animis vestris elabatur. Reliqua enim studia, neq. salutem vobis, neq. dignitatem afferẽt, neq. è periculis eripient, neq. deniq. vllum vobis fructum & vti-

utilitatem in rebus aduersis importabunt. Imo fieri potest, vt ea falsa sapientiæ opiuo plerumque vos in capitalem fraudem inducat, & in exitium sempiternum præcipientes exturbet. Neque enim beatus est, qui disciplinas hominum ingenijs excogitatas studio & ratione complectitur: sed qui in diuinæ legis studium noctes atque dies vehementer incumbit. Similiter ipse Deus Iesum Moysi successorem alloquitur. Nõ recedet volumen legis huius ab ore tuo: sed mediteris in eod diebus atque noctibus. Quomodo autem? Num satis est ad sapientiam summam Dei legem firma memoria continere? Minime inquit. Finis enim legis est officium cum acris studio & summa religione susceptum. Et ideo subiungit. Vt custodias, & facias omnia quæ scripta sunt in eo. Sed fructum tandem videamus. Tunc diriges viam tuam, & sapienter te geres. Hoc igitur ait: Si cupis populum prudenter & iuste gubernare, si ab illo omnes impetus hostiles inuicta virtute reprimere, si victoriam semper cum amplissima dignitate inuicti nominis obtinere, si postremo omnes qui imperio tuo continentur in quietis sedibus collocare, & florentes atque beatos efficere, hoc vnum munus in omni vita suscipe, vt legem meam in mente defigas: non quidem vt illius intelligentiam iactes, vt ea ratione te populus admiretur, sed vt omnia vitæ officia ad illius trutinam perpendas: & cuncta quæ sanxit diligenter exequaris: atque ita populum vniuersum non tã metu pœnæ, quam exemplo pietatis instituas. Quod si feceris, nõ est, cur quidquam metuas. Esto, inquit, fortis & robustus, nolique animo consternari. Quoniã ego dominus tibi semper adero,



adero; in omnibus ad quaecumq. perrexeris. Hæc igitur ora-  
 tio facile declarat omnem sapientiam legis diuinæ studio con-  
 tineri. Sapientia namque est beatæ vitæ effectrix. Beata por-  
 ro vitæ est bonorum omnium affluentia. Ea vero non potest  
 aliunde quam ex Deo qui est fons bonorum omnium, in ani-  
 mos nostros influere. Vt autem Deum propitium habeamus,  
 opus est, vt in suis illius diligenter obtemperemus. Sed quero.  
 Num omnibus qui legi summo studio operam dederint, erit  
 hoc diuino munere concessum, vt ita per legis iter recta gra-  
 dianantur, vt in alterutram partem minimè declinent? Non  
 prorsus. Cupiditatis enim furor & immanitas, quâdiu illius  
 dominatu oppressi detinemur, nos quodâ modo inuitos, atq.  
 recusantes à legis studio transuersos abducit. Sic vero fit, vt  
 lex quæ fuit ad salutem data, nobis pestem & exitium infe-  
 rat, ita, vt merito à Paulo nostro administratio mortis appel-  
 letur. Cum enim lex exëpli gratia capite sanciat, si quis alienæ  
 uxori vitium inferat: & eadem lex opem minimè largitur,  
 qua libidini repugnetur, quid aliud lex efficere poterit, quam  
 vt fontes multo grauiore pœna cruciet, quam si nunquam la-  
 ta fuisset? Quam graue namque adulterij crimen sit; lex  
 ab adulterio deterrens multo apertius, quam fuerat ante in-  
 mentibus naturæ lege descriptum explicuit. Quo autem cla-  
 rior notitia peccati est, eo est maiore cruciatu vindicandum.  
 Quis autem vires dedit, quibus libido contineri, & coerceri  
 posset? Ille profecto, qui vires cupiditatis elisit: qui tyranni-  
 dem peccati deleuit: qui libidinis immanitatem profligauit.  
 Tunc igitur demum libera mēs facile poterit quod lex diuina  
 descri-

describit efficere, cum omnes istæ pestes quæ continenter bel-  
 lum cum diuina lege suscipiunt, extinctæ fuerint. Quis au-  
 tem est, qui feritates istas ex animis qui illum sequi student  
 expulit? Christus in crucem sublatus interitum, monstris  
 omnibus attulit: & regnum cupiditatis importunum, & li-  
 bidinis imperium deleuit. An hoc obscurum est? An non  
 quotidie experiundo sentimus? An id non est omnibus qui  
 Christi crucem amplectuntur exploratum? Vt enim quisque  
 maxime studio crucis incenditur, ita facillime cupiditates  
 omnes coërcet, vt sanctionibus diuinis obsequatur. Hoc qui-  
 dem futurum Isaias prædixerat, vt qui Christum incenso  
 studio sequerentur, non solum ab illo caelestem disciplinam  
 acciperent: verum & omnes adiones & studia vitæ eadem  
 disciplina conformarent. Similiter Ieremias fore dixit, vt  
 lex diuina non in tabulis lapideis, sed in cordibus huma-  
 nis inscriberetur, vt omnes qui apud Christum Sacramen-  
 to dicerent, sine recufatione vlla diuinæ legi parerent. Quid  
 Ezechielem, quid reliquos Prophetas enumerem? An pa-  
 rum perspicuum est, omnium hanc mentem & sententiam  
 fuisse, id quod lex præstare non poterat, ab vno Christo ef-  
 se postalandum, & expectandum, nempe vt illius gratia  
 confirmati, compressa & edomita cupiditate legem diui-  
 nam inflammatis animis exciperemus, & nihil cerneretur  
 in nobis, quod non esset ex legis ipsius præscripto consti-  
 tutum? Quod enim fieri non poterat per legem, (vt Pau-  
 lus ait) Dei filius à patre missus effecit, vt peccatum con-  
 figeret: libidinis imperium deleteret: vt ita lex diuina

in illis sanctionibus quæ ad solidæ iustitiæ rationem pertinet, posset ab omnibus qui Christi spiritum sequerentur observari. Illi igitur solum qui, ut Christum sequantur crucem cupiditatibus suis defixerunt, vitam ad normam diuinæ legis exactè dirigunt. Vnde colligitur in illis tantum verissimæ sapientiæ lumen elucere. Sed quia nobis hic sermo hoc in loco maxima ex parte cum Græcis institutus est, commodum videtur eorum Græcorum testimonijs uti, qui fuerunt sapientiæ opinione clarissimi. Sed prius operæ pretium est animaduertere, quid ipsa Græcorum Philosophia sanciat, atque præscribat, & quibus in rebus ij qui multum reliquis ingenio & doctrina antecellebant, quales fuerunt antiqui Academici, & Peripatetici sapientiam sitam esse statuerunt. Quæ nam igitur est eorum verissimæ sapientiæ disciplina? Ea certe quæ cupiditas & libido ratione comprimitur. Ratio enim in animo secundum naturam principatum obtinet. In ea autem est diuina lex à flagitio deterrens, & honestatem præscribens incisa. Ergo cum ratio statum animi pro iure & imperio moderatur, omnia lege, modo, & ordine constituta sunt. Nullum dissidium in animo, nullus tumultus exoritur: nulla grauis cura mentem sollicitat: nulla vis immanior eam de statu detorquet. Est igitur tunc status illius rectissimè constitutus. At vero cum animum iræ truculentia rapit, & versat, & quocumque ei lubet impellit, tunc ratio de statu reiecta furori & dementia seruit, neque quod ipsa iudicat, sed quod ira præscribit, sedulo machinatur. Quid cum libido faces intentat? Quid cum auaritia mæti tenebras offundit? Quid cum amor,

odium,

odium, spes, metus, liuor, obrectatio & reliquæ vitæ pestes animum exedunt atque conficiunt? Potest ne tunc aliquid tristius & acerbius excogitari? Mēs enim sanitate, libertate, dignitate spoliata, & sub dominatu cupiditatis & libidinis constituta seruit dedecori, flagitio, atq. turpitudini, et summo angoris cruciatu miserabiliter afficitur. Contra vero cum ratio temeritatem coërcet, & motus inanes comprimit, & omnes partes animi sibi dicto audiētes esse compellit, tunc facile dignitatem tuetur, & pace tranquilla perfruitur. Si igitur qui sibi rectè consulit sapiens est, ille vere sapiens est existimandus, cuius moderatione & consilio pax in animo est firme constituta. Hoc autem Platonem summum Philosophiæ principem mouit, ut in voluntatis & rationis consensione sapientiam collocaret. Cum enim ratio verum aspiciat, voluntas in bonum feratur, si voluntas rationem sequitur, tunc in vera bona respicit, nulliusque sensus corrupti iudicio à recta via deducitur. In hominibus igitur temperatis, & moribus atque vita rectissimè constitutis, sapientiæ studium viget: furor autem & insania in flagitiosis & incontinentibus regnum possidet. Si ita est, quemadmodum Plato, & reliqui ab illius disciplina profecti differunt, quis sapiens potest appellari, nisi qui se totum Christo in disciplinam tradiderit? Quæ enim vlla continentia maior? Quæ temperantia mirabilior? Quæ morum grauitas, quæ vitæ constantia diuinior vnquam vllis ingentibus perspecta & cognita fuit? Sapientiæ namque fundamentum apud Christianos est in Dei metu positum. Illo autem muniti labes animi repellunt: libidinem refrenant: vo-

p

lupta-

luptates noxias aspernantur: iram cohibent: odio repugnant: & cupiditatibus crucem statuunt: quia immanitatem extinguant. Itaque in illis qui se ardentibus animis in Christi studium contulere, non furor immanis, non effrenata libido, non infinita cupiditas, sed optima viuendi ratio dominatur: & quod magis admirandum est, id sepe non diuturna consuetudine fit, sed temporis momento solet interdum euenire, vt animus nimis corpori deuinctus diuini spiritus impulsu commotus ex intemperante continens, ex auaro benignus, ex iracundo mansuetus, ex timido fortis, ex inconstante grauis repente fiat. Tanta vero vitæ sanctimonia gentibus alienis ingentem sepe numero admirationem commouebat, vsque adeo, vt summi decoris & honestatis testimonium Christianis inuitæ dare cogentur. Hoc autem passim euenire cernimus, vt quo quisque magis se ad Christi studium applicat, vt crucem illius ardentius amplectetur, eo mirabilius in illo castitatis, integritatis, temperantiæ, virtutis decus emineat. Itaque non omnes virtutem acutè definiunt: non continentie partes eleganter diuidunt: non de amplitudine dignitatis & honestatis ornatè & copiose differunt: sed omnes eam arctissimè complectuntur: neque enim verbis & ostentatione, sed ardenti studio vitæ puritatem & sanctimoniam colunt: & virtutis amplitudinem in hominum luce constituunt, vt homines illos intuentes lumen diuinum in illis elucere perspiciant. Sic enim, inquit summus iustitiæ magister, luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & gloriam dent patri vestro, qui

in celo est. Hoc igitur Christi præceptum cum illius discipuli inflammato studio sequerentur, ea castitatis & virtutis, & benignitatis exempla in terris ediderunt, vt posset in illis vitæ cælestis splendor animaduerti. Si igitur sapientiæ firmissimum argumentum est domitas habere libidines, statumque animi tutum & incolumem ab omni perturbatione conseruare, & constat tam ex antiquis monumentis, quam ex quotidianæ vitæ exemplis, omnes qui se ad Christi studium conferunt, & oculos in cruce defigunt, eum statum assequi, quem neque ira, neque odium, neque inuidia, neque libido labefactet, quis negare poterit, in Christi disciplina, verissimæ sapientiæ opes immortales & totius dignitatis ornamenta consistere? Idem Plato, (cum enim totius antiquitatis incorrupto iudicio Græciæ sapientissimus habitus semper fuerit, sepius illius auctoritate contra Græcos vtendum censeo) in Phædone omnem animi puritatem qua vera sapientiæ continetur, in mortis commentatione ponit. Docet enim eo in sermone Socrates nihil esse tam homini vera cernere cupienti contrarium, quam corpus ipsum, & ipsius motum, & species quæ ex natura corporis oriuntur. Neque enim verum in natura corporis, quæ labitur continenter & fluit, sed in rebus quæ ex omni concretionem mortali secretæ sunt, semperque eodem statu manent, inesse. Nos vero cum simus corporibus assueti, non posse verum cernere, propterea quod corporeæ imagines animis frequenter occurrant, quæ mentem obtundunt, & à contemplatione ipsius veritatis auertunt. Itaq. nō licere nobis in hac vita

sapientiam perfectè consequi: post mortem vero, corpore videlicet quod nobis officiebat extincto, licere. In hac autem vita illum maximè sapientem fore, qui magis ad imitationem mortis accederet. Cum vero mortis officium sit animum à corpore disiungere, docebat ei qui vellet ad sapientiam peruenire, esse mentem quo ad liceret à corpore seiungendam: ut per se posset sine ullo corporis impedimento sempiterna contemplari. Tunc enim purum & liberum animum posse munere suo perfungi. Tum addit. Non liquet igitur huius puritatis efficiendæ rationem in eo positam esse (ut ante diximus) ut mens se ipsam à corporis contagione seiungat, & se colligat, atque recipiat, & sola quoad licuerit, & nunc & in posterum è corpore tanquam vinculis expedita, omnique perturbatione soluta secum habitare condiscat? Hanc deinde sententiam Socrates eodem in loco multis verbis confirmat, in eoque pugnat, ut doceat in hac mortis assidua meditatione omnè vim & rationem sapientiæ parandæ consistere. Neque enim fieri posse, ut quisquam sapientiam adipiscatur, nisi prius animum à corpore summo studio disiunxerit. Si ita est, quemadmodum Plato verisimè sub Socratis persona disputauit, ille maximè ad sapientiam perueniet, qui maximè necem ad hunc modum corporis sensibus intulerit, ut nihil animum impediatur quominus à corpore longius abstractus vera perspiciat. At hoc corporis, & animi dissidium quo tandem studio verius & firmiter quam crucis disciplina conficitur? Hoc quidem mortis genus Philosophi necessarium esse fatebantur: sed cū essent nimis corporis cupiditatibus alligati, è vinculis eximi

nequa-

nequaquam poterant. Valentior enim cupiditatis immanitas est, quam ut possit sine ope diuina viribus humanis extingui. At Christianæ sapientiæ fundamentum in hac mortis assidua cōmentatione consistit. Ipse namque sapientiæ doctor hoc frequenter admonet, ut nos ipsos fugiamus: ut crucem subeamus: ut videlicet interitum cupiditatibus afferamus. Aliter enim nos discipulos suos esse non posse confirmat. Neque is est qui nos tantum de officio nostro commonefaciat, & ope sua destituat: imo qui animum virtute corroboret, qua facile munus sibi commissum alacriter exequatur. Itaque omnes qui crucem, hoc est studium coërcendæ libidinis & impuritatis ardentibus animis ferunt, ope diuina subnixi omnes cupiditates elidunt. Qui sunt Christi, ut inquit Paulus, cruci corpus suum cum corporis cupiditatibus affixerunt. Omnes igitur libidines, omnes contentiones, omnes impuritates, in illis qui Christum imitantur repente moriuntur, ita ut nihil in eis præter Christi sensum viuere conspiciatur. Minimè necesse est exempla nimis antiqua & obsoleta requirere. In hac enim etiam mundi fæce, in his calamitosis temporibus quæ assiduè lamentamur, videmus multa millia adolescentium, & virginum, ut ætatem robustiorem omittam, quæ sic crucem amplexata sunt, ut omnes cupiditates eneruent, necemque sensibus pristinis afferrent, ut solute atque libere rerum diuinarum contemplationi vacarent. Itaque multos nouimus quibus minimum est cum corpore mortali commercium, omnisque illorum mens in Christi imitatione defixa tantum cælestia meditatur. Quibus illud Pauli licet

vsurpare. Nempe, *Viuo ego, sed non ego, viuit vero in me Christus*. Neque enim viuit in illis odium, non iracundia, non libido, non immanitas, non ambitio, non auaritia, non cupiditatis impotentia: sed amor diuinus, hominum caritas, immortalitatis studium. Si igitur sine commentatione mortis sapientia parari non potest, & hi soli mortem perpetuo meditantur, qui vt Christum cruci affixum sequerentur, cruce[m] corporibus suis statuerunt, qua interitum pristinis cupiditatibus, & opinionibus, atque adeo sensibus ipsis afferrent, efficitur certè, solis Christianis licere sapientia verissima frui. Non erit autem alienum huic loco id etiam quod Socrates apud Platonem in Theæteto, in hanc eandem prope sententiam dicat attexere. Nam postquam eo in sermone multa de recto animi statu, qui libidinum nece & interitu continetur, Socrates disseruisset, tunc Theodorus orationem illius excepit, sed eam sermonis partem commodius erit ad verbum interpretari. Theodorus. Si omnes ô Socrates, tanquam me in sententiam tuam traducere potuisses, pax certè firmior constitisset, & multo minus malorum versaretur in vita. Socrates. Fieri non potest, ô Theodore, vt mala funditus intereant. Neesse namque est vt bono malum semper aduersetur. Quod tamen malum sedem inter Deos habere non potest, sed mortalem tantum naturam, & hunc locum necessario circumcursat. Quo circa nervos omnes contedere debemus, vt hinc summa celeritate fugiamus. Fuga autem non alia est, nisi contentio vt Dei similes efficiamur. Similitudo autem hæc iustitia, & pietate, & prudentia

con-

continetur. Verum enim vero vir optime nõ facile negotium est, persuadere multis non ea gratia fugiendam esse improbitatem, & consecrandam virtutem, quam multi perhibent, nempe ne improbi videamur: & vt probitatis opinionem aucupemur. Hæc enim sententia est fabella quædam anilis existimanda. Vera enim causa virtutis comprobandæ hæc est. Deus nullo modo iniquitatem rei vllius gratia suscipit, nempe qui sit ipse iustissimus. Itaque nemo similitudinem illius assequi poterit, nisi tantum ille qui iustitiam studio summo coluerit. In hoc autem studio naturæ præstantis indoles, & docilitas præclara cognoscitur: in illius vero negligentia animi minuti, & angusti, atque prorsus inutilis formido perspicitur. Iustitiæ enim cognitio sapientia est, verissimæque virtutis ornamenta complectitur. Illius autem ignoratio stultitia est, & improbitas euicta. Reliquæ autem ingeniorum docilitates ad certas artes quæ sapientiæ opinionem receperunt, cum in honoribus publicis vim suam expromunt, seruales, in mechanicis autem artificijs sordidæ sunt existimandæ. At cum illo qui infert iniuriam, aut qui facinus impium loquitur, aut conflatur, multo certè melius ageretur, si nunquam per malitiam acris viri nomen obtinuisset. Hi namque eiusmodi sunt, vt contumelia glorientur. Delectat enim illos improbitatis & malitiæ fama, nempe quod non inertes existimentur: sed nauis & industrii, quales futuri sunt illi, qui salutem in rebus publicis sibi parare possunt. Qui eo longius ab eo statu distant, quem se affecutos opinantur, quo magis se eum consecutos esse confidunt.

p 4

Ad

*Ad reliquam enim miseriam accedit turbulenti erroris insaniam. Verum enim iniquitatis supplicium ignorant. Non enim iniquitatis supplicium est in verberibus, aut nece constitutum, quæ supplicia interdum à iustis hominibus perferruntur: sed eo in malo quod nemo improbus effugere potest. Theodorus. Quod non tandem malum dicis? Socrates. Cum in rerum natura duo exempla sint, vnum est numè diuinum, quod est natura beatissimum, alterum à Deo alienissimum, quod est miserrimum: hi non vident, nam propter stultitiam extremamque dementiam ignorant, cum aliquod opus iniustum atque nefarium moliuntur, se similes illi reddi, quod est miseriæ summæ documentum, & illi dissimiles, quo beatæ vitæ specimen continetur. Cuius flagitij pœnam sustinent, dum ita viuunt, vt similem vitam ei ad cuius se similitudinem contulère, furenter instituant. Quod si dixerimus, nisi acumen illud quo subnixi ambulant deseruerint, fore, vt neque mortui in purum locum recipiantur: neque a miseria quæ improbitatem necessario consequitur in hac vita deserantur, hæc propter acuminis confidentiam quasi hominum stultorum sententiam negligent, atque despicient. Hæc fusius Socrates eo in loco persequitur, in quibus docet, si volumus vitæ beatæ compotes esse, à corpore semigradum, vt Dei similes simus, quæ similitudo non opinione iustitiæ, sed verissimo studio iustitiæ continetur. Qui sunt igitur illi qui à corpore ardentissimo studio semigrant? Qui se ad Dei similitudinem & imitationem conferunt? Qui non laborant, vt hominum rumores aucupentur, sed vt Deo placeant?*

*ceant? Qui denique non opinioni sed veritati seruiendum arbitrantur? Illi certè qui Christum incenso studio sequuntur. Illi enim se se à corpore abstraxerunt, fidemque Christo dederunt sibi nihil amplius cum libidine & impuritate futurum: neque aliud sibi proponunt, quam vt caritate & iustitia Dei formam & speciem referant, neq. vt inanem gloriam captent, sed vt ipsi Deo grati sint, in studium pietatis incumbunt. Ex eo igitur Socratis sermone didicimus vni esse certissimum sceleris admissi piaculum, & certissimam puritatis rationem quæ in vitiorum fuga, & Dei similitudine consistit. Animi vero puritatem lumen diuinum natura consequitur. Vt enim speculum purum & extersum solis radijs oppositum solis splendorem & speciem recipit, vt lucem ex se late diffundat: ita mens omne flagitio vacans, & in lucem diuinam intuens, ita collucet, vt intuentium oculos luminis sui splendore perstringat. At in hac luce qua puræ mentes illustrantur, Plato sapientiam summam ponit in sexto de repub. libro. Ibi enim Socrates primum beatam vitam in boni cognitione constituit. Ibi igitur cum à sodalibus vrgeretur, vt quid esset bonum explicaret, ipseque tergiversaretur, seque ignorationis excusatione defenderet, nemoque illius satisfactionem acciperet, eo tandem deductus est, vt diceret se non ipsius boni naturam, sed boni ipsius partem, sub aliqua similitudine explicaturum. Tunc sic Adimantum alloquitur. Num venit tibi in mentem considerare quanto clarius Architectus sensuum illam vim qua quis videt, aut videri, quam omnes sensus alios Architectatus sit? Non admodum*

diligenter inquit. At nunc attentius animaduerte. Num auditui, & voci quæ auditur, aliquo alio genere opus est, ut auditus audiat, & vox auribus accipiatur, sine quo sensus audiendi non audiat, nec vox auribus usurpetur? Nullo, inquit. Sic opinor, inquam: neque alijs quidem multis sensibus, ne omnes persequar, id necessarium est. Num potes aliū aliquē referre, qui genere alio ad sentiendum indigeat? Non prorsus, inquit. Videndi vero facultas, & rei quæ sub visum cadit ratio, nonne vides, quòd aliam vim planè requirit? Nam videndi vim oculis insidente, & eo qui videndi vim habet conatum ad videndum acerrimè comparante, & colore oculis applicato, si tertium aliud genus ad hoc ipsum natum baud interuenerit, neque aspectus aspiciet, nec ipsi colores aspici ullo modo poterunt. Quod nam, inquit, genus illud est? Quod tu, inquā, lucem nominas. Sanè vero, inquit. Non est igitur, inquam, neque in ocularum sensu, neque in rerum quæ sub oculorum aspectum cadunt facultate species contemnenda. Eius namque rei societate continetur, quæ multum dignitate sensuum aliorum adminiculis antecellit. Siquidem lucis ipsius vis est honore nō prorsus indigna. Multum, inquit, abest, ut honore parū digna sit existimanda. Quem, inquam, in celo Deum esse statuis, huic tanto muneri præfectū, qui luce sua causam afferat aspectui, quidè clarè videndi, & rebus quæ aspectui subiectæ sunt, facultatem afferat, ut videantur? Eundem sanè, inquit, quem tu, & reliqui omnes, solem nempe dico esse, de quo interrogas. Num aspectus ad ipsum Deum rationem habet? Quomodo? inquit. Aspectus quidem ipse non est sol. Ne oculus quidem

ipse

ipse in quo aspectus inhaeret: sed omnium quibus aliquid sentimus instrumentum, ad solis lucem accipiendam aptissimum. Sane quidè, inquit. Vis igitur illa quæ oculi aspectus habet, à sole promitur: & quodammodo ab eo in illum influit. Verum, inquit. Neque sol rursus aspectus est, sed causa aspectus, & ut ab ipso oculorum aspectu videatur. Sic se res habet, inquit. Hunc igitur, inquā, cense me boni partum appellasse, idque bonum esse ab ipso bono generatum, ut ratione illius atque similitudinè retineret. Quod enim bonum ipsum in regione quæ mente percipitur, efficit in mente, & in rebus quæ mente intelliguntur: idem sol in loco qui sub aspectum cadit, in oculorum aspectu & rebus quæ oculis videri possunt, efficit. Quo pacto tandè? Inquit. Narra mihi. Oculos, inquā, nostri cum vim suā intendunt in eas res quæ nō diurno splendore collucēt, sed sub obscura noctis luce continètur, hebescere, & propemodū in cæcitatē conuerti, quasi minimè insit in illis clarè cernendæ facultas? Noui sanè, inquit. Cum verò, inquā, sol exoritur, clarè cernunt, & in eisde ipsi oculis videndi vis cōfestim inesse videtur. Sane vero, inquit. Hæc porro, inquā, similitudinè transfer ad animū. Cum enim animus irredat mentis acie eò in quo veritatis, & ipsius mētis lumē omnia collustrat, intelligit, & cognoscit ipsum: & mēte præditus esse videtur. Cū rursus oculos auertit, ut res caligine circūfusas quæ oriūtur, & intereunt aspiciat, opinatur, & hebescit, & opiniones sursum atque deorsum variè versat, neque multū ab amēte distat. Ex hæc quæ Socrates similitudine diuinitus adducta sapiētiae ratione psequitur, & alia deinde sub eadē similitudine mirabiliter edisserit,

ut



ut homines ad Dei notitiam erudiat. Sed ut reliqua omnia fileamus, ex hac illius oratione percipimus nullam esse aliam vim & rationem ad sapientiam comparandam, præter eam quæ diuini numinis splendore continetur. Ut enim oculi quamuis sint vigentes & acuti, lumine solis amoto, aut nihil aut parum admodum vident: ita mens diuinæ lucis abscessu tenebris impeditur, ne verum aspiciat: & vagis & errantibus opinionibus, huc & illuc temere circumfertur: & quo magis confidenter in susceptum iter ingreditur, eo longius aberrat, & furentius ruit: & ille conatus inanis exitu tristiore concluditur. Si Plato igitur totam sapientiæ rationem in diuinæ mentis illustratione positam esse decernit, sine qua omnia studia sapientiæ inania censet, quid Græci de eorum Christianorum sapientiæ statuent, quorum mentes clarissimis diuinæ lucis radijs illustrantur? Ut enim vitæ puritate & integritate inter omnes mortales excellunt: ita consequens est, ut solis ipsius radios sui luminis claritate longe multumque superent: illorumque sapientiæ omnes qui sapientiæ student, noua & insolita magnitudine tam clari splendoris exterreat. Ipsius namque Platonis testimonio constat illos tantum esse sapientes, qui Deum quæ entis nomine significat, pura & casta mente assidue cõtemplantur: illiusque in se lumen recipiunt: & ita diuinitus illustrati, illius formam & speciem referunt, quemadmodum noster Paulus ait. Nos autem aperta facie quasi quodam speculo gloriam domini quam accepimus, in luce collocantes in eadem formam conuertimur, & in studio progressi indies magis illustramur, nempe quos diuinus spiritus insti-

instituit, & erudit. Idem Paulus alibi, Eratis, inquit aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Dauid autem. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Similiter Isaias. Surge, & illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum. Quod autem lumen istud sit, explicat dicens. Et gloria domini super te orta est. Quia tenebræ operient terras, & caligo populos. Super te autem orietur dominus. Et non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, & splendor lunæ non illuminabit te: sed erit tibi dominus in lucem sempiternam: & Deus tuus in gloriam tuam. Porro autem sol iste qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Dei filius est. Qui in illum respiciunt non allucinantur: & non opinantur: sed quæ ad salutem necessaria sunt, clarissime vident: & ita vitæ cursum cum felicitate summa conficiunt. Hinc igitur illa fidei ardentis constantia, hinc illud animi robur inuictum, hinc clarissimæ mentis altitudo, hinc illa summa letitia nascitur, qua iusti omnes mirabiliter efferuntur. Lux, inquit vir diuinus, orta est iusto, & rectis corde letitia. Alibi vero, inquit, iustos torrente voluptatis inebriari. Petrus vero Credentes, inquit, exultatis letitia quæ non potest explicari. Et ipse dominus gaudium hoc sempiternum fore prænunciat. Et ut alias omnes causas summe letitiæ prætermittam, ea quæ sapientiæ verissimæ fructu cõtinetur, tanta est, ut nullum locum acerbitati relinquat. Ut enim veritatis desperatio animos afflictat, ita veritatis summe cognitione mentes ingenti gaudio cumulat. Neque enim fieri potest, ut qui diuina luce potiuntur, qui Dei consuetudine perfruuntur,



qui disciplina illius erudiuntur, qui donis & muneribus illius afficiuntur, non in summa atque perpetua voluptate versentur. Hanc autem mentis lucem mentes oppletæ tenebris intueri non possunt. At qui è tenebris emersi eam conspiciunt, tanto gaudio efferuntur, ut vix interdum præ lætitia mentis compotes esse queant. Exponam hoc in loco sermonem à me cum iuvene Hebræo habitum, qui ex Africa venerat, ut Christianus fieret, huic materiæ non parum accommodatum. Est autem ille ita in Deum propter huius lucis beneficium gratus, ut vix quidquam ardentius esse possit. Is vero cum mihi rationem qua ille, & quidam illius cognati ad Christum conuersi fuissent, exponeret, tum ego. Libenter equidem à Iudæis quæserim, num arbitrentur Deum iustos præter illa præmia quæ sunt illis à sempiterno tempore constituta multis etiam in hac vita muneribus & ornamentis afficere. Fatebuntur. Interrogarem deinde, esset ne vllum maius & euidentius amoris indicium eo, quod consiliorum communique continetur. Negabunt. At constat ex literis sanctis Deum sic iustos diligere, ut cum illis sapientiæ suæ arcana communicet. Sic enim scriptum est. Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? In quo Deus ostendit se quodammodo amicitie sanctitatem violaturum, si aliquid à viro sanctissimo secretum habuerit. At alius vir diuinus negat Deum aliquid moliri, in quo seruos suos Prophetas non consilij sui participes efficiat. David vero dicit, consilia Dei occulta atque recondita sibi numine illius explanata fuisse. Et ne posset dici hoc beneficium non iustis omnibus, sed

certis

sed certis tantum esse aliqua ratione concessum, idem David alibi dicit, secretum Domini cum omnibus metuentibus eum communicari. Ex quibus locis aperte colligitur tantam esse iustorum dignitatem, ut quasi in Dei consilium adhibiti multa percipiant quæ sunt ab humana cognitione remotissima. Hoc, inquit, perspicuum est. Rursum, inquam, interrogarem, non eos qui vsuris, & fraudibus, & mendacijs victum quæritant, qui rem varijs calumnijs augendam suscipiunt, qui neminem eximium habent, quem non circumueniant: sed eos qui in precibus assidui sunt: qui templa frequentant: qui in legis caeremonijs diligentissimi sunt, & vetustissimis institutis obsequuntur: ecquam lucem diuinam aspexerint? ecquod consilium à Deo intima mente perceperint? ecquid cælesti lumine perfusi viderint, quod mens humana ingenio suo complecti non possit? Tum ille, Arridens de me, inquit, solum quærito, qui tibi verum eade re facillimè testificari possum. Nemo enim inter Iudæos extitit, qui esset in procuranda religione diligentior, & moribus & vita continentior, & in legis ipsius studio vigilantior. Iam vero cum existimarem me in ea re Deo satisfacere, tam acerbo & immani odio Christianos persequebar, ut existimarem, quoties in eos intuebar, oculos meos insigni sceleris contagione maculari. Nihil denique vnquam prætermisi, quod ad cultum religionis in qua enutritus fueram pertineret. Itaque meis omnibus eram insigne ut illorum opinio ferebat, iustitiæ, probitatis, & religionis exemplum. Sed quid hoc tam immodico legis studio, & tam acri &

diuturna

diuturna contentione consecutus sum? Nihil prorsus. Idem semper eram: idem sentiebam: nulla vnquam mihi lux ob oculos affulsit: nullum fuit vnquam mihi solatium in rebus aduersis allatum: nullum in angoribus alleuamentum. Animus vero semper exilis, semper aridus, atque ieiunus in eadem molestia atque fastidio permanebat. Nihil postremo cognitione comprehendere vnquam potui, quod non cuius in mentem venire potuisset: contra vero multa sum valde furenter opinatus, quæ in nullius hominis sani rationem cadere potuissent. At postquã diuini spūs impulsu me ad Christi nomē adiūxi, Christe sanctissime quis mihi splendor illuxit? Quæ vidi? Quæ percepi? Quæ mente & ratione complexus sum? Quæ letitia & voluptate perfusus? Ita mihi Deum meæ salutis auctorem propitium velim, vt interdum dubitem an fidē rebus diuinis habeam. Nam si fides (vt multi definiunt) est credere quod neque sensibus, neque ratione percipitur, equidem omnia quæ Christianorum disciplina credenda proponit me cernere puto. Itaque in Eucharistiæ Sacramento me Christum dominum meum, cuius sanguine sum à sempiterna peste redemptus, cernere, & audire puto. Tum illud etiam adiecit. Quid est magis contra naturæ sensum, quam mortē contemnere? At sic sum commutatus, vt nihil cupiam ardentius, quã vitam pro nomine & gloria Christi profundere. Illum igitur quem oderam, amo: cuius nomen ex hominum memoria euelli cupiebã, ita diligo, vt mihi vita minimè cara sit, nisi eam in illius cultu & veneratione consumpsero. Et hæc quidem iuuenis ille, ex quibus intelligi potest, qua luce perfundi, & gau-

dio

diò cumulari soleant illi qui vere Christo nomina dant. Id autem clarius in illis animaduertitur, qui ex perfidiæ tenebris in fidei lucem vindicantur, quia quod nouum & insolitum est maiorem admirationem efficit, quam id quod est diuturna consuetudine comprobatum. Id quidem nostri experiundo sentiunt. Nam cum multi religiosi viri, illi vero præcipuè qui nomen à Iesu societate ducunt, qui in vltimis Orientis solis regionibus Christi nomen prædicandum susceperunt, ad Christum multos mortales adiungant, hominum alacritatem, pietatem, voluptatem, & lacrymas admirantur: eamque vitæ conuersionem sempiterna memoria & celebritate dignã merito iudicant: ob eamque Deo vota sanctissima memori atque grata mente persoluunt. De hac tã admirabili luce quid prophætæ cecinerunt? Quid viri diuini prædixerunt? Quid mentes puræ & castæ sentiunt? Quid sensibus intimis experiuntur? Sed cum multa, lux hæc quæ fuerant antea multis inuolucris obiecta, nobis inspicienda proponat, tum nihil est clarius, elegantius, & magnificentius ipsa pulchritudine, qua mirabiles amores excitat, & animos facibus ardentissimis inflamat. De quo quidem amore Socrates apud Platonem in cõuiuio, cum multa sibi à Diotima muliere sapientissima (vt assererat) dicta meminisset, tum sic ab ea sententiã absolutam fuisse confirmauit. Sic enim eam loquutã fuisse dicit. Aduerte diligenter, & nunc vel maxime quid dicam, memoriæ trade. Qui enim sic fuerit ad amores institutus, vt via & ratione quæ vere pulchra sunt exactè consideret, ad finem tandem disciplinæ amatorie pertueniet: vt pulchritudinem ipsam ad-

q

mira-

mirabili specie claram repente conspiciat. Hoc est autem illud pulchrum cuius gratia labores omnes in vita suscipiuntur. Primum quidem eternum est. Neque enim ortum unquam fuit: neque occidet, nec auferi, nec imminui unquam poterit. Deinde non est aliqua illius pars pulchritudine insignis, alia vero deformis. Tū nec tēpore immutari solet, ut aliquādo pulchrū sit, aliquando minimē. Ne illud quidem ei potest accidere, ut ad aliquid collatum pulchrum sit, ad aliud vero deforme. Ne locis quidē mutationem subierit, ut alibi pulchrum, alibi turpe videatur, ita ut alijs amore, alijs odio dignum existimetur. Deinde nō est fas opinari illud pulchritudinis esse particeps, ut cum faciem, aut manum, aut partē corporis vllā, aut orationem, aut scientiam pulchram dicimus. Neque eam habet naturā, ut in re aliqua instar qualitatis inhereat, velut in animante, vel in terra, vel in cælo, vel in re qualibet alia, sed ipsum per se insita natura & ratione cōsistit, simplex, sibi que simile, atque sempiternū. Et reliqua omnia que pulchra sunt, hoc pulchrum quodāmodo participant. Et cum ea vel gignātur, vel intereant, huic pulchro nihil potest accedere, nihil iurus decedere, cū nihil sit illo valentius, a quo patiat. Et hæc quidem & alia multa in hanc sententiam Plato Socratem, vel Diotimā disputare facit, quibus docet hominis summum bonum, verissimæque sapientiæ fructum in ipsius summæ simplicis, atque sempiternæ pulchritudinis cognitione cōstitutum esse: ita ut qui illam inspexerit, amauerit, cōsectari perpetuo voluerit, & omnia que videntur pulchra & amabilia gratia illius cōtempserit, sapiens atque beatus sit: neque sit illi quidquā

præ-

præterea requirendum. Quid igitur amplius dicendum? Plato quem omnis Græcia merito semper admirata fuit summū sapientiæ fructum, totamque beatæ vitæ rationem in amore diuino quo mentes hominum flagrare possunt, si in diuina pulchritudine defixæ fuerint, collocauit. Quæro igitur a sapientibus Græcis, quis amor erga Deum extitit unquam in terris ardentior eo, qui Christianas mentes exurit? quod caritatis incendium acrius & vehementius? Quod studium summa atque præclara facinora pro Dei nomine moliendi magis inflammatum? Quemadmodum enim Pauli testimonio quod iam in mediū attulimus, clarè videtur, homines Christianæ pietatis gloria præstantes, neque minæ, neque terrores, neque dolores, neque supplicia, neque mortis immanitas, nec hostis sempiterni truculentia, nec omnia denique horribilia & pertimiscenda, labefactare, infringere, & a Christi cōiunctione diuellere potuerūt. Gladios spernebant: in ignes irruebant: cruciatus appetebāt: in tormentis vitam abijcere cupiebant. Quod mirum videri non debet. Si enim amor leuissima specie pulchritudinis excitatus tantas interdū vires habet, ut corpus animo spoliaret: perficit enim, ut animus amore incensus in re quam habet caram totus infideat: quid de illis animis est existimandum, qui è corpore frequenter euolabant, ut illam summam speciem & claritatem pulchritudinis intuerentur? Et si veri amoris (ut Philosophi perhibent) studium in honestate consumitur, non enim adduci poterit is, qui amat, ut in conspectu illius formæ quam diligit, vllum in se dedecus admittat, quid illi facient, qui oculos a sempiterna pulchritudine

q 2

quam

quam mirabiliter amabant, nunquam in vlla malorum omnium tempestate deijciebant? Fieri certè non poterat, vt qui perpetuo in honestatis sempiternæ splendorem respiciebant, & ad sempiternum decus aspirabant, aliquid committerent, quo diuinam mentem offenderent. Illud igitur ardens, & incitatum decoris & dignitatis studium satis indicabat, quantum in illis ardor amoris existeret. Quod si labores immensi facillimè tolerati clarissima etiam amoris argumenta continent: illos certè qui otium pati non poterant, qui labores otio, tempestates tranquillitati, pericula securitati præferebant, dum modo Christi gloriæ seruirent, amore summo incensos fuisse constabit. Quid hic lacrymas, quid gemitus, quid suspiria, quid ardētissimum cæli desiderium commemorem? Quid colloquia illa incundissima quibus illi qui Christi studio incensi sunt, perfrui solēt oratione persequar? Quid illud, quod siue otiosi sint, siue labore assidue conflētentur, siue domi se contineant, siue foris negotia gerant, siue pax sit publicè constituta, siue bellum impendeat, perpetuo de Deo cogitant, vsque adeo, vt ne somnus quidem, quo omnes curæ & cogitationes sopitæ conquiescunt, eos à rerum diuinarum consideratione abstrahere possit? Visa namque eis in somnis obijciuntur, minimè ab illis curis quas vigilantes animo versabāt aliena: ita vt possint dicere, quod est apud Solomonem, Dormio quidem ego, animus meus vigilat. Itaq. cum vitæ principium & fontem, cum sempiternæ lucis originem, cum immensam probitatem, sempiternæque iustitiæ rationem, cum ordinem, modum, & conuenientiam, ipsumq. decus, bonorumq. omnium

com-

complexionem in Deo considerant, quo studio flagrant? quanta ipsius summi boni cupiditate rapiuntur? quo impetu animi concitantur? Quid dicam, cum mente recogitant omnia, quæ de Deo sentiunt, esse minuta & angustâ, si cum Dei ipsius infinita claritate & perfectione conferantur? Eam enim ne Angeli quidem mente & cogitatione complecti possunt. Quamuis enim mentes beatissimæ diuino splendore colluceat, Deumque clarè videant, & quodammodo in naturam diuinâ conuersæ sint, non tamen totam Dei ipsius perfectionem comprehendere possunt. Dei namque lumen immensum & infinitum est, earum vero intelligentia certis finibus circumscribitur, ita vt nō sit id quod vident, & intelligūt, cum eo quod non intelligunt vlla ratione comparandum. Ergo cum diuini viri in Deo non modo rerum omnium causas & species, & mundi ipsius sempiterni, cuius hic quem cernimus, imaginem gerit rationem considerant, & præter lucem, vitam, claritatem, & bonitatem etiam in diuinitatis infinitatem mentem inijciunt, magnitudine splendoris ipsius quem sustinere nequeunt, obruuntur: & attoniti sensibus oppressis obstupescunt: & mente tandem atque ratione composita silent: ita tamen, vt tunc vehementius id quod non intelligunt, admirētur: quod non aspiciunt, ament: quod intelligentia comprehendere nequeunt, caritatis amplitudine complectantur. Tunc autem cum nihil intelligunt, summū genus sapientiæ consequuntur. Intelligunt enim perfectissime decus illud infinitum, quantum sit, intelligi perfectè nō posse. Qui cum ijs excubant atq. pernoctant curis fieri non potest, vt non amore, desiderio, &

93

cupi-

cupiditate flagrantissima concitentur. At hæc est eorum assidua cogitatio, qui se Christo penitus dederunt. Eam namq. Paulus ait non in terris, sed in cælo versari. Ita fit, vt Dei familiaritate & consuetudine fruantur: & ebrietate sempiterna, de qua etiam (vt Plato ait) antiquissimi Poætæ præclara dixerunt, exhilarati iucundissimè viuant. Si igitur (vt Plato testificatur) in amore diuinæ pulchritudinis, summæ atque verissimæ sapientiæ ratio continetur, & soli Christiani cum in cælo mente & ratione versentur, possunt diuinæ mentis speciem quodammodo etiam in hac vita manentes intueri, & illius amore vehementius inflammari, certè liquet eos solos sapientiæ compotes esse. Repete quæso memoria illam quam elegantissimè finxit speluncam, illa vincula quibus homines ita constrictos esse facit, vt oculos in lucem reflectere nequeant, illas umbras inanes, quæ discurrere & loqui videntur, illa denique rerum simulacra quibus homines illi ferro vinculi soliditatem imperite tribuunt. Non potuit magis ante oculos communem insipientium hominum vitam ponere. Nam in terram depressi, & corporibus astricti, & vitiorum innumerabilium vinculis alligati, non queunt eò mentem conuertere, vt lucem aspiciant, & veras rerum formas intueantur. Neque enim veritas est in rebus corporeis, sed in diuinis atque sempiternis constituta. Itaque huius vitæ commoda nihil solidi & expressi continent, sed inanem bonorum imaginem gerunt. Homines vero his rerum umbris assuefacti, imaginibusq. delusi, bona inania consecantur, & falsa voluptatis dulcedine liquefacti, ita detinentur,

vt infesti sint omnibus qui eos è vinculis illis eximere, & in superas oras educere contendunt, vt verum solem, atq. veram lucem, & veros homines atq. vera bona conspiciant: hoc est, cælestia atq. diuina contèplentur, & mentis aciem in sempiternis bonis defixam habeant. Quæro igitur à Græcis, an vllam hominum nationem viderint vnquam, quæ fortius vincula ista ruperit, quam Christianam? Quæ acriore studio in lucem diuinam respexerit? Quæ res humanas animo maiore contempserit? Quæ ardentiore impetu in cælum mente penetrauerit? Quæ attentius ipsum Dei beatissimum numen, aut cum maiore fructu contemplata sit? Non ne constat hoc solis Christianis esse concessum, quoties fidem languentem excitat, & opem numinis suppliciter implorant, vt laxati vinculis, à bonorum umbris auersi, & ad vera bona conuersi mente in cælum euolent, opesque summas atq. sempiternas inspiciant, & diuino colloquio cum admirabili iucunditate perfruantur? Vnde certè colligitur omnem verissimæ sapientiæ disciplinam in Christi cruce, quæ Iudæis offensionem attulit, Græcis materiam contemptionis dedit, esse collocandam. Illa namque flagitiorum vires extinxit: temeritatem & insolentiam compressit: cupiditates & libidines nefarias elisit: humanasq. mentes è tyrannide mortifera liberauit: vt libere atque solute possent cælestia contueri, & ardentissimo studio, & amore diuinitatis inflammari. Præclaram optionem detulit Helias numinis falsi sacerdotibus. Sic enim Israëlitas alloquitur. Dentur nobis duo boues: & illi eligant sibi bouem vnum, & in frustra cedentes ponant super ligna:

& ignem non supponant : & ego faciam bouem alterum, &  
 imponam super ligna, & ignem non supponam : & inuocate  
 nomina deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen domini  
 mei : & Deus qui audierit per ignem, in se sit Deus. Hæc qui-  
 dem possumus illis qui à Christi sacris abhorrent, simili ra-  
 tione proponere. Preces assiduas fundant Iudei : crebrisque  
 motibus in genua capita demittant : Mahometani eadem ver-  
 ba totum diem repetentes corpora sacrilissima agitatione concu-  
 tiant : qui numina falsa colunt, carnes suas cultris incidant :  
 nunquam tamen eorum animos ardor diuini amoris aduret.  
 Soli Christiani sunt, qui per ignem audiuntur. Dum enim  
 pura mente Deum orant, & in precibus assidui sunt, amore  
 diuini numinis incenduntur. Qui quidem amor tam acer est,  
 tantasque vires habet, vt homines sæpe numero mente quodã  
 modo atq. ratione spoliaret? Quomodo, inquires? Si igitur men-  
 tis expertes fuerint, sani esse non poterunt. Si fuerint insa-  
 ni, quo tandem modo sapientes erunt? Imo tum demum erunt  
 sapientissimi, cum hoc insanix genere vehementer oppressi  
 fuerint. Non enim furor omnis est detestabilis & execran-  
 dus, imo genus est quoddam furoris votis omnibus expeten-  
 dum. Platonem audiamus, qui in phædro furorem ita distin-  
 xit, vt vnum morbis humanis, alterum motibus diuinis ascri-  
 beret. Eum vero furorem quem diuinum hoc est, diuino pul-  
 su concitatum appellat, trifariam diuisit. Vnum enim vati-  
 bus, alium sacerdotibus, tertium amantibus attribuit. Neque  
 enim censet fieri posse, vt quisquã aliquod horum trium mu-  
 uerum comode & feliciter exequatur, nisi mens à corpore lo-  
 gius

gius abstracta, spiritu diuino concitetur, ita vt communis sen-  
 sus in illa minimè vigeat. At omnis motus quẽ non ratio, aut  
 sensus communis impellit, furor appellari solet. Hunc tamen  
 furorem, quem spiritus diuinus efficit, Plato longe sensibus hu-  
 manis anteposit. Et merito quidem. Summus enim sapien-  
 tiæ gradus est humano iudicio spoliari, diuinoque sensu com-  
 pleri. Nam cum humanæ prudentiæ iudicium angustis sanè  
 terminis definitum sit, sibiq. multũ insolenter assumat, quæ  
 enim iudicat, sine rerum maiorum comparatione iudicat : &  
 ita omnia quæ videt, & audit imbecillitate sua metiatur : nõ  
 potest vlllo modo cælestia atque diuina contueri. Nihil enim  
 videt, nisi id tantum quod est corporeum, dissolubile, & inte-  
 riturum. Quo circa necesse est illi qui sapietia potiri studet,  
 vt quoad fieri poterit, animum ipsum à sensibus, à corpore,  
 atque adeo à seipso disiungat. Seipsum namque deserit ani-  
 mus, cum iudicium suum contemnit : seque à studijs quibus  
 capiebatur abducit : vt ipsam veritatem intueri possit. Ver-  
 ritas enim illa solum existimanda est, ad quam mentes di-  
 uinus spiritus erudit. Hanc igitur vehementem animi com-  
 motionem, qua mens terram, & opes terrestres, & cor-  
 pus, atque (quod est longe mirabilius) seipsam relinquit, &  
 abicit, vt in cælum euebatur, ab ipsoque Deo verum per-  
 cipiat, appellent sanè quo velint nomine, dum modo intel-  
 ligatur in ea demum sapientiæ summam consistere. Itaque  
 si lubet hunc motum, eo quod sit quædam vehemens &  
 acris contra communem sensum & rationem animi concitatio,  
 furorem nominare, minimè repugnabo, dummodo  
 95 constet,

constet, neminē unquā fore perfectē sapientē, nisi eum quem hæc tam salutaris insania, atque sapientissimus & beatissimus furor oppresserit. Qui etiam à nobis sæpe mors appellari solet. Vt enim nos Christi disciplinam ad summum perductam furorem nominare non pudet: propterea quod hoc nomine disiunctio illa qua mens rationem humanam deserit, intelligitur: ita mortis nomen non horrescimus, ob eam causam, quod eo nomine, disidium illud quo animus à corpore seuocatur, explicatum volumus. At hoc furore sapientia, & hac morte vita verissima continetur. Quid enim sapientius, quam sensus humanos, quam argumenta rationis, quam coniecturas & opiniones incertas, à quibus tam sæpe delusi sumus abijcere, vt mente atque sensu diuino, in quo nullus error versari potest commoti, & incitati, verum atque sempiternum bonum intueri queamus? Quid salutaris, quam corpus infirmum, & caducum, necessariisque mortis legibus astrictum deserere, vt ipsi vitæ sempiternæ amore ardentissimo copulemur? Ex hoc autem rectissimè concludi ratione potest, animum neque perfectè sapere, neque vitæ frui, quandiu non fuerit abstractus à corpore, vt à Deo disciplinam hauriat, & speciem illius admiretur, illique amoris fœdere sempiterno coniungatur. Hoc hominum vulgus cum non intelligat, & aliquando videat homines Christo deditos humanos sensus aspernari, commoda vitæ contemnere, voluptates noxias fugere, mentemque à consuetudine corporis, & à communi hominum iudicio seuocare, stultos & insanos esse iudicat, atque pro mortuis habendos,

eo quod nolint huius vitæ communis iucunditate potiri. Verum interim illi summis opibus sapientiæ diuinæ circumfluunt: & vita beata iucundissimè fruuntur. Si enim nemo beatus esse potest, nisi sapiens sit, si sapientia parari nequit, nisi nos Deus qui solus natura sapiens est, erudiendos susceperit, si Deo in disciplinam tradi non possumus, nisi nos à corporibus abstraxerimus, parum ne liquet, in hoc vel furore, vel interitu, disciplinam verissimæ sapientiæ totam consistere? Sic enim Deus Mosi dicebat, se non posse ab eo videri, qui in hac vita maneret. Itaque sapientiam summam tum demum assequi poterimus, cum ab hac vita disceserimus. Vnde colligitur id quod Socrates aiebat esse verissimum, eos in hac vita proximè ad sapientiam accedere, quibus minimum est in ea cum corpore mortali commercium. Summa vero Christianæ disciplinæ in hoc studio consistit, (vt Paulus ait) vt corpori crucē, sicut sæpe iam dictum est, defigamus, qua necem corporis cupiditatibus inferamus, & ita Christi mortem imitemur, vt quemadmodum ille seipsum ab inferis excitauit, vt vita diuina immensa cū gloria frueretur: ita & nos illius vestigiis ingressi humanis sensibus extinctis in vitam diuinam ingrediamur: vt quod reliquum vitæ fuerit, in sanctis operibus consumamus, omniaque vitæ studia Deo consecremus. Ipseque Paulus hoc vnum se moliri & perpetuo meditari dicit, in idque omnes animi neruos intendere, vt cruce (sic enim studium coercendi corporis appellare solet) quam perpetuo gestabat, necem corporis cupiditatibus inferendo, Christi morte conformaretur, vt ita tandem posset



vita illius diuinæ similitudine conformari. Neque stultitiæ quidem, aut furoris nomen vir diuinus extimescit. Nos inquit, stulti propter Christum, & quod stultum est Dei sapientius est hominibus. Id autem quod homines humanis artibus eruditi vt rude & impolitum despiciunt, est quod verissimæ sapientiæ disciplina continet, ad quam nullo modo possunt Græci & sapientes humanis viribus aspirare. Id autem quam diuinitus sit ab illo dictum explicari vix potest. Siue mente, inquit, excedimus Deo, siue sobrii sumus vobis, caritas Dei vrget nos. O diuinam hominis diuini sententiæ, qua paucis verbis omnem Christianæ sapientiæ perfectionem complexus est? Si enim volunt homines magni ad Deum propius accedere, vt illum clarius, vt in hac vita licet, aspiciant, opus est, vt è corpore excedat: diuinoq. illo furore, de quo diximus, acrius incitetur, vt diuinæ sapientiæ fructus amplissimos consequatur. Cum rursus homines alloquuntur, qui nodum sunt ad tantam disciplinam dociles, est mens recipienda, & sermo ad prudentiam communem, quæ non est legi diuinæ contraria sapienter accommodandus. Aliter enim ea quæ dicta fuerint, homines imperfecti minimè percipient. Loquimur (inquit Paulus) sapientiam inter perfectos. Sunt igitur imperfecti quasi quibusdam elementis ad sapientiam paulatim adducendi. Hanc autem moderationem qua mens excedit è corpore, & ut apparet, furore corripitur, vt Deum alloquatur, aliquando rursus se colligit, & sobriè sermonem instituire videtur, vt possit intelligi, caritas Christiana gubernat. Ea namque docet quo tempore sit corpus ab animo

deseren-

deserendum: vt diuinum numen hominibus placari possit: quo rursus tempore sit ab illo excessu reuocandus animus, vt homines erudiantur. Si igitur (vt ad Platonem reuertamur) sapientia consistit in animi puritate, in vitæ sanctitate, in vitiorum fuga, in iustitiæ cultu, in Dei similitudine, in diuinæ lucis splendore, in amore quo mentes in diuinam pulchritudinem frequenter intuentes incenduntur, & in furore denique quo corpus ipsum à mente deseritur, vt ipsa mens è corporis tenebris tanquam vinculis emissa in cælum feratur, & constat nullam aliam disciplinam præter Christianam hæc omnia in animis qui se Christo penitus dederunt effecisse, quid magis perspicuum esse potest, quam summam perfectam, atque plane diuinam sapientiam Christiana disciplina atque ratione contineri? Soli enim quos Christi numen ad se allicit, & secum fœdere coniungit, puri, sancti, continent, & iusti, Deique similes sunt: soli diuino splendore collucent: soli amore veræ pulchritudinis inflammantur: soli extra se sæpenumero rapiuntur, vt Deum multo puriore mente, & maiore cum voluptate contemplantur. Excogitarunt quidem Philosophi animi pacem, & tranquillitatem, & statum bonis veris circumfluentem, quem nullæ malorum tempestates agitare, & de mente deiicere possent. In hoc autem statu summam sapientiæ fructum collocabant. Sed quis illum tandem consequi potuit? Quotus enim quisque fuit eorum, quem non vel exagigaret libido, vel vexaret inuidia, vel sollicitaret ambitio, vel odium, aut ira de statu detorqueret? Verbis enim magnificè de tranquillissima pace differere concessum est omnibus, qui

ma-



magnam eloquentiæ laudē consecuti sunt. At ea felicitate & tranquillitate frui illis tantū licet qui omnes has pestes animi cruce confixerunt, & quorū animi humana omnia p̄ nihilo putant, nēpe qui ad cupiditatē diuinitatis exarserint. Eā igitur Christiani tantum habēt, qui nominis dignitatē studio mirabili vitæ consequuntur. Illi igitur soli sapiētes sunt, soli nāq. fructu sapientiæ potiuntur. Sed ad illum fructum veniamus, quo nihil præclarior, & felicius, & admirabilior, & magnificentius existimari potest. Quis ille tandē est, inquires? Vnum cū Deo fieri. Sapientiæ namq. studium est Deum semper intueri, & illius speciē & pulchritudinē vehementer admirari. Ex assidua vero Dei cōsideratiōe amor summus exoritur. Amorē autē imitatio cōsequitur. Libēter enim nos ad eorū mores effingimus, quos miro amore diligimus. Ex ea vero imitatione mira quædā similitudo diuinæ virtutis & claritatis efflorescit. Ex ea similitudine animorū cōiunctio nascitur, illudque sanctissimæ amicitie fœdus, quod tātas vires habet, vt non liceat amico habere quidquā ab amici vsu et vtilitate seiunctū. Vt enim vitæ dissimilitudo alienat animos: ita similitudo cōglutinat. Quod eo est in Deo vehemētius, quo fides illius est in omni rerū varietate cōstātor, & potētia maior, et studiū quo sibi homines adiungit admirabilior. Qui adhæret (inquit Paulus) domino, vnus spiritus est cum eo. At David non diuitias expetit: non honores ambit: non voluptates exquirat: non ea quæ homines præclara & expetendā iudicant, in aliquo numero ponit. Vnum tantum illius votum est, quo mirificè flagrat, quo bona omnia cōtinētur. Mibi, inquit, adhærere Deo

bonum

bonum est. Quid aliud hoc est, quam diuinitatem appetere? Si enim qui Deo adhæret, vnus spiritus cum Deo est, & qui vno spiritu continentur, idem sint quodammodo necesse est, certē qui Deo adhæret, illiq. semper est inflāmato studio cōiunctus, Deus quodammodo nominari rectissimè potest. O immensam diuinæ benignitatis amplitudinem, ô virtutis infinitæ beneficentiam in omni æternitate cœlitum prædicatione celebrandam, ô sapientiā admirandam, & obstupendā, quā nulla vnquam seculis infinitis obscurabit obliuio. Iam cœlum astris distinctum & ornatum minimè miror. Iam terræ fertilitatem atque diuitias contemno. Iam maris immensitatē, & aëris vim vitalem & salutarem minimi facio. Solis splendorem, lunæ constantissimam varietatem, siderum speciē & pulchritudinē, & totius naturæ concinnitatem, & reliqua opera ex quibus opificis summi potentiam, solertiam, & probitatem colligebamus, non adeo præclara puto. Vt enim stellæ in splendorem solis incurrentes claritatē luminis amittunt, ita multa diuina opera, quamuis sint clara & illustriacum ad alia multo illustriora conferuntur, propemodum euanescunt. Quid autem clarius & illustrius esse potest, quam hominem è terra concretum, natura fragilem, flagitijs inquinatum, pœnis sempiternis obnoxium, iacentem excitari, flagitijs liberari, ornamentis diuinis illustrari, in cœlestem hereditatem vocari, atque (vt vno verbo dicam) Deum fieri? Hoc tantum & tam diuinum officium & munus non planè liquet obscuritatem omnibus naturæ numeribus Dei ipsius manu perfectis & absolutis attulisse? Hic iam

cernis

cerni facillè poterit diuinam sapientiam non sine causa tam præclarum opus hominum gratia fuisse molitã. Quod enim humanam speciem & formam induerit, quod se ad homines docendos dederit, quod sub humana natura labores immensos exceperit, quod se hostiam salutarẽ pro salute generis humani deuouerit, quod ludibria, dolores, cruciatus acerbissimos, constantia diuina pertulerit, hæc omnia in eum finem ab illo suscepta sunt, vt immensæ probitatis munere multos diuinæ naturæ consortes efficeret. Hanc enim dignitatem attulit hominibus, qui illum sequerentur, vt filij Dei vocarentur, & essent, hæreditatemque cælestis patrimonij cernerent, nullis seculis interituram. Hanc autem nominis dignitatem tuemur, cum spiritus diuini monitis incitamur. Qui spiritu Dei (inquit Paulus) aguntur, hi filij Dei sunt. Si filij (inquit idem Paulus) & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Immensa igitur & infinita probitas, quamuis in mundi molitione se magnificis operibus indicasset, non tamen id adeo cumulate præstitit, vt perfectè quod latebat in signe fieret. Aliam igitur alterius mundi machinam nõ priori similem, sed multo clariorem suscepit, vt multo magnificentius suæ benignitatis opes explicaret. Et ita factum est, vt multos filios ornamentis clarissimis affectos in vnici filij societatem conuocaret. Charissimi (inquit Ioãnes) nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit, quid erimus. Cum autem apparuerit similes ei erimus. Videbimus enim eum, sicuti est. Hæc est illa verissima sapientia, & præsentis utilitatis fructu iucundissima, & spe cuiusdã diuinitatis amplissima, cuius com-

potes

potes eum statum assequuntur, quem nec bellorum omnium furor turbare, nec fraudes & insidiæ parti decoris possessione depellere, neque terror vllus ab hominibus obiectus infringere potest. Quin etiam cum cælum tonuerit, & flumina densa contorserit, terraque motibus horrendis cõquassata defederit, vniuersaque natura incendio conflagrauerit, illi qui se totos ad studium Christi contulerunt, & illius crucem inflammatis animis amplexati sunt, erecti & excelsi consistent: & alta mēte laboris sui præmium cum summa iucunditate percipient: ita demum fiet, vt cum omnes qui calliditate subnixi concursabāt, & in amplificatione terrestrium bonorum beatam vitam statuebant, piorumque hominum fidem summam esse stultitiam arbitrabantur, fracti metu, strati ruinis, & exanimati conciderint, illi qui verissimæ sapiētiae operam dediderant, cum spe firmissima immortalitatis, & incredibili voluptate diuinam constantiam retinebunt. Sunt enim (vt Petrus ait) filij Dei non semine corruptibili, sed incorruptibili, nempe verbo Dei permanentis in æternum singulari consilio generati. Si enim cælum non potest vlllo terræmotu de statu suo conuelli, multo certè minus poterit diuinum genus vlla terra, aut cæli cõuersione, aut naturæ totius interitu de statu suo demigrare. Cælum namque, & terra, & omnia quæ cæli ambitu cõercētur interibunt: at verbi diuini semen tunc multo clarius cum reliqua omnia funditus euersa corruerint, opibus sempiternis affluet, & summo gaudio triumphabit. A Deo enim non potest neque totius orbis conflagratione diuelli. Quid enim interueniet, quo vel diuinæ caritatis incendium

flu-

fluctibus vllis extinguatur: aut diuinæ iustitiæ puritas vllis ardoribus absumatur? Ita namque Deus fluctibus insipientes obruit, vt sapientes è medijs fluctibus eripiat: ita impios flammis exurit, vt pios in ipsis flammis quasi infuso rore lætificet. Non parum sapienter inquit ille qui dicit, Sapiens qui sibi prodesse nequit, ne quidquam sapit. Neque enim sapiens appellari potest, qui nullum ex sapientia quam inaniter ostentat, fructu colligit, sed stultus, & amens, falsaq. opinione sapientiæ furenter inflatus. Qui igitur in rebus valde metuendis, in certissimo appropinquantis mortis argumento, in orbis terrarum exitio, in communi rerum omnium vastitate, sibi ipsi opitulari nequit, & intelligit tandè cum acerbissimo animi cruciatu, se sine vlllo fructu vitã omnem in studio falsæ sapientiæ contriuisse, parum ne liquet fuisse demētissimum? Nam cum duplex genus stultitiæ sit, vnū, quod minimè sibi sapiētiam arrogat, alterum, quod in summa temeritate nimis confidenter sapientiæ nomen vsurpat, quis non videt quanto sit detestabilior ea stultitia, quæ est cum superbia & leuitate coniuncta, quam ea quæ non ita furenter extollitur? Vnde constat omnes qui Christi fidem ignorant, qui crucē odio persequuntur, qui sibi nimium præfidunt, qui terrã nimis intuentur, qui ad cælum minimè totis animi viribus emittuntur, quãuis sint omnibus artium quæ summis ingenijs excogitate sunt disciplinis instructissimi, esse furiosos, & insanos, summæq. temeritatis & amēticiæ pœnis agitari. Non enim poterunt vllis artibus pestē sempiternã à seipsis auertere. Vera autem sapientia huius crucis quã veneramur amore & studia

continetur. Caritatis enim Christianæ tanta vis est, vt ea neq. viribus inuictis labefactari possit. Quid enim est in terris morte valētius? At caritas vim ipsius mortis obterit, & obtundit, illiusq. tela virtute repellit. Quid antiqui serpētis tyrannide & immanitate robustius? At caritas omnes infestissimi demonis opes excindit, & inferorum manium copias in fugã conuertit. Illius virtus & efficientia tã admirabilis est, vt interdū cum morte, & cum erebo, nō incōmoda ratione cōferatur. Fortis (inquit Solomō) est vt mors dilectio, & dura sicut infernus æmulatio. Quo tandè modo? Vt enim mors animum disiungit à corpore, ita purus amor mentē & voluntatē à societate corporis auellit, vt eã cum diuina mēte atque probitate conglutinet. Et perinde atq. sempiterni supplicij metus à flagitijs auocat, similiter atq. adeo multo vehemētius æmulatio qua offensionem nobis carissimi numinis extimescimus, ab omni turpitudine deterret. Fieri enim nequit, vt qui mentis aciem habet in sempiterna pulchritudine defixam, vlla se impuritatis labe inquinari patiatur. Imo cruciatu omnes libentissimè perferet, potius quam in Dei conspectu quidquam designet, quod sit cum aliquo dedecore & fœditate coniunctum. Nam si amor impurus & flagitiosus valde sollicitus est, ne quid parum decorè faciat, & cum in turpitudinem feratur, turpitudinis tamen opinionem reformidat, quid facient, qui summam & immensam pulchritudinem nullis sordibus inquinatam, sed diuinis atque sempiternis ornamentis splendens, omnibusque rebus pulchris causam pulchritudinis afferentem puris animis intuentur?

Qui diuinis flammis incensi sunt, non offensionem diuinam extimescent, omnesque animi nervos intendunt, ne quidquam agant, aut moliantur, quod non ad sempiternum decus & honestatem referatur? Non sapienter intelligent, quā stultum sit, Dei ipsius gratiam in qua omnes opes, facultates, omnes summæ voluptates, omniaque diuini decoris & dignitatis ornamenta consistunt, per summum flagitium & dedecus effundere? Erit igitur hic diuinus amor semper sollicitus, & in metu versabitur, & summa sedulitate providebit, ne quod est beneficium diuino partum, humano flagitio peruertatur. Ita tamen timebit, ne vnquam Dei auxilio diffidat, sed illo semper immixtus audeat sibi omnia summa atque sempiterna bona polliceri. Sollicitudo igitur non erit in cruciatu numeranda, sed potius cautio salutaris appellanda. Metus similiter ille non animum tristibus curis afficiet, imo statum illius firmissimo presidio circumuallabit. Quo enim magis metuet, eo munitior erit, & confidentius ad cælum aspirabit. Cum vero caritas oculos nunquam à cælo deiciat, cum semper in speciem illam præcellentissimam aciem mentis intendat, cum nihil aliud velit, aut cupiat, quam immensa illa pulchritudine frui, cum indies magis studio diuini decoris & sempiternæ dignitatis inflammetur, cum se totam diuino presidio fulta ad speciem diuinæ pulchritudinis effingat, cum sit Deo, quem ardentius amat, arctissimo vinculo deuincta, cum illius splendore & claritate quotidie magis, si vim suam non remiserit, illustretur, parum ne per speciem est, omnem verissimæ sapientiæ vim caritate hac summa & ardentissima continere.

Hanc

Hanc autem tam excellentem caritatem, & tam admirabilem ardoris vim, tantum amoris incendium quis excitauit? Certè (vt multis iam demonstrauimus) Christi sanguis pro nobis in cruce profusus. Is enim mētes nostras expiauit: animos tyrannide liberauit: & vires confirmauit: & cupiditatem à terris abstractam ad cōspectum diuinæ probitatis excitauit: vt purè cerneremus illam summam pulchritudinem, quæ sola est iucunda, amabilis, & prædicanda, omnibusq. bonis quæ cogitatione complecti possumus, longe præscrēda. Sed vt aliquē modum orationi statuamus, est animaduertendū quam amētes Iudei, quam imperiti Græci fuerint, cum in Christi disciplina vel diuinæ virtutis signum, vel sapientiæ euidentis argumentum requirerent, cum neq. virtutis diuinæ signa maiora dari, neq. sapientiæ diuinæ clariora argumenta proponi potuissent. Signa petūt Iudei, cum ea signa sint diuinitus ostēsa, quæ nullum omnino locum perfidiæ, aut dubitationi relinquunt. Quæ fuerant enim oraculis promissa, signis expressa, figuris adumbrata, ita quemadmodum prædicta fuerant euenere. Quin etiam tēpus ipsum præstitutum aduenit: & eo ipso tempore Dei filius exortus est in terris: numenque suum signis, atque portentis, & admirandis operibus indicauit: & multis salutem, libertatem, & dignitatem, & ornamenta peccatis amissa multis muneribus amplificata restituit. Vmbre legis euauerunt: imagines exterminatæ sunt: solidi & expressi fructus extiterunt: clarissimus diuinæ virtutis splendor eluxit: peccati vires fractæ & debilitatæ iacent: Regnum mortis excisum est: monstra feritatis & immanitatis

tis euerſa ſunt: cæleſtis iuſtitie ratio conſtituta: & aditus in  
 cælum p̄s hominibus patefactus: vita, lux, ſalus, honeſtatis  
 ſempiternæ decus, inſolitæ benignitatis amplitudo, nun̄ inus  
 præſentiam declarauit. Sol, & aſtra, mare, tellus, omnia quæ  
 ſuper ſubterq. ſunt, quantum eſſet in Chriſto numen, quan-  
 ta vis atque potentia apertè teſtificata ſunt. Seueriſſimum  
 illud iudicium quo ciuitas ampliffima & opulentiſſimâ cor-  
 ruit, templum flammis vlticibus exuſtum, antiquitatis il-  
 lius ruina ſempiterna, quam inferſam ſit Dei numen omni-  
 bus qui Chriſti imperium detrectauerunt, nomenque illius  
 delere voluerunt, clarè demonſtrat. Gentes vltimæ (vt à di-  
 uinis viris prædictum fuerat) lumine diuinæ mentis illuſtra-  
 tæ incredibile gaudium percepère: & animis vehementer in-  
 flammatis ſe ſe ad iuſtitie ſtadium contulère: contra Iudei,  
 quod etiam olim præmonſtratum fuerat, qui ſe ſe in tan-  
 tum beneficium ingratos præſtitère, rerum omnium inte-  
 ritu, exilio, vaſtitate, omnium mortalium odio damnati,  
 cæcitate, ſtupiditate, amentia vexati, furiarum ſtimulis exa-  
 gitati vagantur: & diras perfidie pœnas exoluunt. Orant,  
 & non audiuntur: opem Dei implorant, & à Deo deſeruntur:  
 & quo magis ſe percuſos, & ſtratos oſtendunt, eo acrius Dei  
 iudicio peruertuntur. Crux interim è qua Iudei offentionem  
 cum inſigni temeritate ſumpſerunt, quod præ ſe imbecillita-  
 tis ſpeciem ferret, quanta ſit in ſe vis, multis rebus admi-  
 randis oſtendit. Ea namq. iacentes excitat, cæcis lumen, ægris  
 ſanitatē, mortuis vitam, vinctis libertatem reddit. Contra  
 vero falſa ſpecie religionis inflatos mentis lumine priuat, &

in miſerie ſempiternæ regionem exturbat. Eſt igitur incur-  
 da bonis, multitudini ſalutaris, ſempiternis autem hoſtibus  
 horribilis & pertimiſcenda. Ea deniq. quæ olim propter me-  
 tum & horrorem, quem miſeris hominibus incutiebat, erat ex-  
 tremæ ignominie, atq. dedecoris inſtrumentum, nunc in bello  
 præſidium, in mœrore ſolacium, in pace firmamentū præbet,  
 & præterea decus, & honeſtatem, & gloriâ immortalē con-  
 ſtituit. Tantum igitur abeſt, vt in ea inſit aliquod imbecil-  
 litatis argumentum, vt potius vim diuinam, robur inuictum,  
 opes ingètes, victorie inſignis inſtrumentū, clariffimi trium-  
 phi memoriâ ſempiternâ contineat. Si Iudei igitur ſigna pe-  
 tunt, odium, mulieriam, contumaciâ à ſe repellant: tenebras fu-  
 giât: & in hoc vnum ſignum diuinæ virtutis omnium maxi-  
 mum aciem mentis intendant, & ſignum non amplius vllum  
 poſtulabunt. Signum quidē erit illis vite, ſalutis, atq. digni-  
 tatis, ſi fidē Deo adhibere, & à prauitate ad pietatē conuerti  
 voluerint: ſignum vero ruinæ, peſtis, & exitij, ſi in inueterata  
 improbitate permanserint. Græci ſapientiam ſpeculantur, &  
 in illius ſtudio omnem vitam, ſine vlllo fructu & emolumen-  
 to conſumunt: nos vero illis ſapientie clariffimas opes ex-  
 plicatas, & euolutas oſtendimus. Chriſti namque discipli-  
 na Dei immenſam probitatem, & ſapientiam, infinitamq.  
 potentiam hominibus, non verbis inani ornatu & elegan-  
 tia concinnatis, ſed ſpiritus diuini demonſtrationibus expli-  
 catis, explanat. Docet enim, quam fuerit immenſæ benigni-  
 tati conſentaneum humano generi conſulere: iuſtitie, munus  
 par & æquale offenſæ, quam primi parentes intulerant

exigere:probitati, hominibus quod pro tāto crimine possent offerre, piaculum dare: potentiae atque sapientiae, quemadmodum clementiae simul, atque iustitiae satisfieri posset, rationē inire: humanumque genus admirabili documento infinitae bonitatis incendere: & studium pietatis acriter incitare. Haec igitur doctrina aperuit hominibus, quantum esset in Deo humanae salutis studium, quanta caritas & beneficentia, quam admirabile consilium, quam immensa vis, numen, atque potentia. Perfecit enim, ut videremus quemadmodum infinitum naturae diuinae numen sine vlla sui ipsius immutatione, aut maiestatis imminutione naturam humanam secum inexplicabili ratione copularet: & ita se mens illa sempiterna cum humana forma communicaret, ut ex vtraque natura integra, & in statu suo sine vlla confusione permanente, vna persona consisteret: ita ut qui pro nostris sceleribus mortem & acerbissimum cruciatum pati voluit, eodem ipso tempore quo torquebatur, caelum & terrā amplitudine suae maiestatis impleret: vniuersamque naturam imperio sempiterno constringeret. Illud etiam docuit, quo pacto pater à sempiterno tempore filium sibi similem, qui erat tempore à sempiterno consilio praefinito salutem terris allaturus genuit: eumque amore immenso atque sempiterno sibi deuinxit: ut ita vnum & idem maximè natura simplex, virtute tamen omnipotens numen esset in tribus personis constitutum. Quanta postremo & quā salutaris vis insit in hac disciplina, multis modis ostenditur. Ea namque morbos animi pellit: cupiditatis fibras excindit: turbulentos morbos comprimit: rationem tyrannide liberat:

& in amissam dignitatem restituit: pacem & tranquillitatem efficit: studiumque diuinæ virtutis incendit. Eadem lumen praefert animis, quo rerum inanes species & vmbrae quibus erant assueti contendant: & vera, supera, caelestia, & sempiterna, atque diuina suspiciant: & aciem mentis in pulchritudinem immensam intendant: amoreque illius acriter inflamentur, vsque adeo, ut extra se se penumero rapiantur, & in caelum euolent, ut verissimae sapientiae disciplinam ab ipso Deo percipiant. Ea sic homines ipsi summo domino coniungit, ut non modo eos Dei ipsius amicos, filios, haeredes efficiat: verum & ita secum deuinciat, ut ex Deo & homine vnum fiat, hoc est, vna propemodum mens, vnus sensus, vna voluntas, vna sententiarum consensus, vna rerum communio, & indissolubilis in omni temporis aeternitate conspiratio. Ea postremo (ut vno verbo omnia concludamus) homines Deos facit. Sic enim Dei filios diuinis muneribus & ornamentis illustratos, ipsique patri (quantum licet, & fas est) vitae splendore & claritate simillimos appellare licet. Quid hac igitur vel imbecillitate fortius, vel stultitia sapientius? Iudaei passim labuntur, & concidunt. Graeci in tenebris ruunt. At qui se se Christo dedunt, inuicti praesidio muniti, luce diuina perfusi, neque vinci, neque tenebris obrui, & impediri, quandiu in statu permanecerint, villo modo possunt. Itaque quamuis euangelium nullis sit argutis implicatum, nulla differendi ratione vallatum, nullis dicendi luminibus illustratum, per se tamen splendet: admirabilemque lucem longe lateque diffundit: cum interim illi qui sapientiae nomine insolenter efferantur, in tetra caligine

gine bonorumque omnium ignoratione versentur: ita ut quo magis ad vitam beatam aspirant, eo furentius atque turbulētius se se in pestem sempiternam injiciant. Quem enim fructum isti sapientes assecuti sunt? Si enim sapientia est veritatis cognitio, unde tam multiplices errores in eorum disciplinis exorti sunt? Si Philosophia cupiditati, & reliquis animi pestibus se interitum allaturam esse confirmat, cur animi Philosophorum tam nefarijs cupiditatibus agitantur? Si animis quietem & otium pollicetur, cur nemo in ipsius Philosophiæ gremio conquiescit? Si Græci sapientes sibi vitam beatam proponunt, cur vix ullus unquam qua in re vita beata consisteret, explicare potuit? Si deniq. sapientes liberi, si pulchri, si opulenti, si Reges, si bonis omnibus affluentes, si postremo felices atque beati sunt, cur libidini seruiunt? Cur insigni turpitudine deformantur? Cur in lomita cupiditate rapiuntur? Cur sunt flagitijs infinitis obnoxij? Cur omnibus verissimæ virtutis ornamentis carent? Cur animi cruciatu & angore sepiissime conflictantur? Comprehendā, inquit Deus, sapientes in astutia eorum. Illis enim ipsis conatibus quibus sapientes salutem assequi contendunt, in pestem & exitium sempiternum feruntur: eisdemq. illis plagis quas in aliorum perniciem callide texunt, diuino iudicio capiuntur. Sic tandem fit, ut homines qui sibi peracuti videntur, cum bonorum simplicitatem irideant, sibi ipsis interitum moliantur: & boni simplicitate firmati salutis suæ rectè prospiciant. Similiter cum isti sapientes ex operibus naturæ, Deum naturæ parentem agnoscere possent, à Deo descinerunt, &

in

in summam stulticiam & cæcitatem conuersi sunt. Contra vero multi qui artium rudes erant, minimeq. mentem in naturæ peruestigatione defixerant, sapientiæ compotes extiterunt. Nam quia in sapientiâ Dei non cognouit mundus per sapientiâ Deum, placuit Deo per stulticiam prædicationis, saluos facere credentes. Stulticiam appellat Paulus disciplinam, dicendi ornamentis nudatam, humanæ Philosophiæ præsidio destitutam, nulla acuminis ostentatione subnixam, nullus sophistarum facis & medicamentis infectam, sed rectam, & simplicem, lumine diuini spiritus animis puris traditam, humanisq. mentibus Christi meritis incisam, quæ summa sapientia nominanda est, quamuis ea Græcis qui perituri sunt, stultitia summa videatur, ut Paulus ait. Verbum, inquit, crucis pereuntibus stultitia est. Quemadmodum igitur vera iustitia legis, & Prophetarum testimonio confirmata, quam qui legi atque Prophetis operam dabant, à se scelere infando repperunt, sine vlllo legis antiquæ præsidio gentibus fuit per Christi fidem & religionem concessa: ita vera sapientia quæ in naturæ operibus eluxerat, quam ij qui naturam speculabantur aspernati sunt, illis qui nunquã in naturæ speculatione fuerat occupati, tradita fuit. Quid igitur Græcorum sapientia demētius? Quid rursus hac stultitia (ut Græci nominant) aut sapientius, aut magnificentius, aut salutaris excogitari potest? Diuinitus est igitur à nostro Paulo dictum. Nos, inquit, prædicamus Christum, & hunc crucifixum, Iudeis scâdalum (grauē nãq. offensionē illis intulit) Græcis stultitiã, speciē nãq. stultitiæ insignis obtulit, At illis qui à Deo in lucē vocati sunt, sine illi

Iudei

## DE SAPIENTIA

Iudæi, siue Græci sint, Dei potentiam, atque sapientiam tradimus, & explicamus. Quis negare potest hanc sententiã explicatã à Paulo fuisse diuinit? Nec enim quidquã fieri potest aut Christi imbecillitate potentius, aut humilitate magnificentius, aut morte salutaris, aut stultitia prouidentius, aut inopia bonis omnibus affluētius. Restat igitur, vt ij qui firmis viribus, inuictiq. præsidio confirmari, sapientiæq. muneribus instrui, & ornari percipiunt, ad studium se se crucis adiungant, Christi. ipsius cruci affixi numen implorent, ab illoq. solo sapientiam postulent, & expectent, vt sic tandem in superas illas sedes ascendant, diuinaq. luce æuo sempiterno perfruantur. Te igitur summe domine, vita, lux, veritas, immensi atq. sempiterni splendoris imago, mens & sapientia patris, rerum omnium conditor, rector, atq. moderator, qui sine vlllo principio ab ipso fonte totius perennitatis exortus, eidemque immensa & infinita caritate deuinctus, secula condidisti, & cælum, ignē, terram, maria, sydera, & animãtia cuncta, & omnia deniq. quæ complexu cæli coërentur, & quæ supra cælũ statum naturæ suæ tuentur, fecisti, & informasti, qui hominem ad naturæ diuinæ similitudinem manibus tuis factum in animantium omnium principatu collocasti, eundemq. hominē collapsum, & ruinis mirabiliter oppressum minimè neglexisti, imo vt illum erigeres, & in terris opes immensas infinitæ potentie, iustitiæ, probitatis ostēderes, naturã humanã tecum inuolabili fœdere colligasti: & sub vera hominis forma & specie homines tetris tenebris, & miserãda caligine demersos in lucē vindicasti, caelestibusq. disciplinis instruxisti, eorūq.

animis

## DE SAPIENTIA.

animis stimulos admouisti, quibus eos in studium immortalitatis incitares, qui te hostiam sanctissimã, vt cunctas eorum labes elueres, illisq. patris numen infensum placares, obtulisti: & pro omnium salute mortē, pro dignitate contumelias, pro voluptate sempiterna dolores & cruciatus acerbissimos pertulisti: qui regionis infernæ claustra reuelliisti: hostes immanes peruertisti: mentesque pias luce mirabili collustratas ingenti gaudio cumulasti: qui deuicta morte, & spoliatis hostibus, cū ingenti gloria reuixisti: & in cælum victor euectus, ad patris dexteram collocatus, imperij sempiterni munus suscepisti: spiritumq. sanctum ad eorum animos qui in te omnem spem salutis & dignitatis positã habebant, misisti, vt eos opibus diuinis afficeret, & cupiditate diuinitatis inflamaret: te Christe sanctissime, qui cum verus Dei filius sis, hominis veri nomen non horruisti, oro, precor, & obtestor, per immensam illã probitatē quæ tuum numen impulit, vt tã admirabile atq. diuinum beneficium in homines ingratos atq. sceleratos cōferret, per vulnera, per conuicia, per dolores, per sanguinē tanta largitate profusum, vt nos omni crimine liberes: splendore tui luminis illustres: amore tuæ claritatis inflames: tecum arctissime coniungas: vt sic tandē sapientes simus: & id quod natura ardentissime cupimus, nō naturæ beneficio, sed gratiæ tuæ munere consequamur: atque tandē (benignitas namque tua facit, vt tantũ munus postulare minimè dubitemus) vt nos tanquã filios, atq. fratres, hoc enim nomine eos qui te sequerentur ornatos esse voluisti, diuinitatis participes, gloriæq. tuæ confortes efficias.

Laus Deo.



*Errata sic corrige.*

¶ Folio. 3. à fronte, linea. 1. cum vulgo, corrige vulgo. ¶ Fol. 5. à fronte, lin. 12. omni, corrige omnis. ¶ Fol. 20. à tergo, lin. 7. opera Cyri, non opera Cyri. Eod. fol à ter lin. 22 pietatis, corrige impietatis. Fol. 24 à fronte, lin. 22. duas, cor. duos ¶ Fol. 26. à fronte, lin. 7. gentibus, corrige à gentibus. ¶ Fol. 42. à tergo, lin. 19. siquid sibi, corrige siquid cibi. ¶ Fol. 61. à tergo, lin. 16. illo, corrige illud. ¶ Fol. 64. à fronte, lin. 9. buiusmodi, corrige huius mundi. ¶ Fol. 69. à fronte, lin. 10. consliat, cor. conciliat. ¶ Fol. 75. à fronte, lin. 16. proterca, cor. propterea. ¶ Fol. 84. à fronte, lin. 22. is Socratis, cor. Isocratis. ¶ Fol. 104. à tergo, lin. 5. ignanissimi, corr ignauissimi.



+

DL

286 x 2

LL

DL que luego abian  
pluys por un dextro.  
para que luego se  
fuesen un dextro.